

13
7
12

AA.

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
JURE PATRONATUS.

QUAM,

Adspirante Summo Numine,

Ex Auctoritate Rectoris Magnifici

IOH. THEOD. ROSSIJN,

A. L. M., Phil. Doct.; Phil., Math., & Astron. in Illustri
DUCATUS GELRIAE & COMITATUS ZUTPHANIAE Acade-
mia, quae est HARDEROVICI, Professoris Ordinarii;

NEC NON.

*Consensu Amplissimi SENATUS Academici,
Nobilissimaeque FACULTATIS JURIDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS, Summisque in Utroque JURE
Honoribus, & Privilegiis ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

JOANNES CASPARUS OESTHOFF, Monasteriensis.
S. S. THEOLOGIAE DOCTOR.

Collegiatae Ecclesiae ad S. Martinum Monasterii & ad
S. Remigium Borckenae Canonicus Capitularis.

Ad diem 10 Octob., hora locoque solitis.

HARDEROVICI,
Apud JOANNEM MOOJEN, Academiac
Ducatus Gelriae & Comit. Zutph. Typograph. Ord.
CIO. ID. CC. LXVII.



СУТАНОЯТЯЯИ

Indonesian English and vice

JOE. THEOD. ROSSIN

译 D. H. 劳

Journal of Clinical Endocrinology

БИБЛІОГРАФІЧНА КОЛЛЕКЦІЯ

*EMINENTISSIMO,
CELSISSIMO PRINCIPI,
DOMINO DOMINO
GRATIOSISSIMO*

MAXIMILIANO FRIDERICO

ARCHI-EPISCOPO COLONIENSIS SACRI ROMANI
IMPERII PER ITALIAM
ARCHI-CANCELLARIO, ET PRINCIPI
ELECTORI
S. SEDIS APOSTOLICAE LEGATO NATO
EPISCOPO, ET PRINCIPI MONASTE-
RIENSI

WESTPHALIAE, ET ANGARIAE DUCI, BURGRA-
VIO STROMBERGENSI, COMITI IN KONIGSEGG-
ROTFELD, DOMINO IN ODENKIRCHEN, BOR-
CKELOE, WERTH, AULENDORFF, ET STAUF-
FEN ETC. ETC.

**PRINCIPI AC DOMINO MEO
GRATIOSISSIMO.**



EMINENTISSIMO
CHARISIMO PRINCIPI
DOMINO DOMINO
GRATIOSISSIMO
MAXIMILLIANO FREDERICO
ARCHI-CYVCHIAE ET PRINCIPI
TITCATORI
E SPES PROSPERITAS LEGATO MATO
PRINCIPI ET PRINCIPI MONASTE
THEURISTI
AUSTRIACAE ET AUSTRIA DUCIS HEREDIT
AVSSTROMPHICENI COMITI IN LONGECE
LONVENTIS DOMINO IN ODEMIROCHEN FOR
CETIOES WERTH VITIENDORES ET STUVE
HEN ETC ETC

PRINCIPI AC DOMINO MEO
GRATIOSISSIMO.



EMINENTISSIME ELECTOR,
CELSISSIONE PRINCEPS,
DOMINE DOMINE GRATIOSISSIME!

Nondum animo excidit, CLEMENTISSIME PRINCEPS! felicissimi illius temporis memoria, quo in vim, & sequelam juris Patronatus, EPISCOPALI TUÆ CATHERÆ competentis, ex gratia Serenissimi Praedecessoris TUI CLEMENTIS AUGUSTI gloriissimae memoriae Praebendam in Collegiata Ecclesia S. MARTINI Civitatis Monasteriensis obtinui; quin potius haec ipsa recordatio ad profitendam nunc publicè meam, quam semper in animo erga CATHEDRAM conservavi, profundam obligationem exstimulat; ut proinde ingratitudinis vitium me certò incursum existimem, si alteri, quam TIBI (quem in eadem CATHEDRA & legitimum successorem, & simul Ecclesiae praedictæ PATRONUM humillimè veneror) meam, quam pro consequendo in utraque facultate juridica Doctoris gradu defendendam suscepi, Dissertationem dedicarem. & quidnî Celsissimo TUO Nomini illam devotissimè inscriberem? cum sub ipso, tanquam sub firmissimo ipsiusmet PATRONI praesidio, Jura Patronorum, quae pro viribus meis defendenda suscepī, securissimè protegantur.

A 3

Susci-

Suscipe prōinde; CLEMENTISSIME PRINCEPS, pro innatā TIBI clementia in aliquale gratitudinis obsequium hafce meas, si non pro merito substratae materiae, certè tamen non sīnē studio elaboratas, pagellas, & ad reddenda TIBI pro ingenii capacitate servitia omni conatus properantem benigno semper favore prosequere.

Interim Deum ter O. M. ardentius deprecari non cessabo, ut ELECTORALEM TUAM CELSITUDINEM in maximum totius Archi- et Dioeceseos bonum, ac in solatium afflictæ Ecclesiae S. MARTINI felicem, ac incolumem in seros usque annos conservare gratiosissimè dignetur.


ELECTORALIS TUAE CELSITUDINIS

Servus infimus

JOANNES CASPARUS OESTHOFF,

Canonicus S. Martini.

DIS-



DISSE

TATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
JURE PATRONATUS.

CAPUT I.

De origine, definitione, divisione, & differentiis
Juris Patronatus.



Tsi legamus, jam primis saeculis varia Ju-
ra honorifica titulo gratitudinis, ut ait
GUILELMUS PARISIENSIS *Libro de
moribus*, concessa fuisse Ecclesiarum fun-
datoribus, ac sub initium saeculi *5ti* no-
mina eorum & elogia solenniter Ecclesiis inscripta fu-
isse testetur, qui eo tempore floruit Sanctus PAULI-
NUS *Epistola 10. 12ma*, quin & antiquissimis tem-
poribus Ecclesias consuevit à fundatoribus suis no-
men mutuare, ut Romae Basilica Constantiniana à
Constantino Imperatore, Titulus Damasi à Damaso
Papâ

8 DISSERTATIO JURIDICA

Papā sacra referat historia, nullibi tamen iisdem jus præsentationis sive nominationis antē annum 441, ubi celebratum fuit Concilium Arausicanum primum concessum invenimus.

Proinde cum dictum Concilium hanc facultatem fundatoribus primo concederit, dum ita Canone 10mo definit: *Decernimus Episcopum non esse prohibitum in alieno Territorio Ecclesiam aedificare servata E-piscopo aedificatori hac gratia, ut quos desiderat Cle-ricos in re sua videre, ipsos ordinet is, cuius Terri-torium est, vel si ordinati jam sint, habere acquies-cat.* Hinc merito huic Concilio originem Juris Pa-tronatus, cuius præcipua pars in præsentatione con-ficit, ut docet cum communi VAN ESPEN *Juris Eccles. Part. 2. Tit. 25. C. 5.* adscribo, quandonam verò alia Jura Patronis hodiecum competentia con-cessa fuerint, Cap. 3^{to} indicabo.

Praedictam verò ordinationem concilii confirmavit deinde concilium Arelatense 11^{mum} de ao. 451. *Can. 39no*, & secutus est JUSTINIANUS de saeculo 6^{to} inlytus Imperator dum novellā 57. *Cap. 2. & nov. 123. C. 18.* jubet à fundatoribus idoneos in Eccle-siis, quas fundaverint, nominari & eligi, & denique Concilium Lateranense de an. 1179. etiam adheredes extendit.

Cum igitur, ut dixi, Jus Patronatus præcipue in præsentando consistit, ut proinde etiam ipse Ponti-fex jus patronatus & Jus præsentandi tanquam syno-nima accipiat in *Cap. 1^m. de præbend. in 6.* in ver-bis Jus Patronatus seu rectorum præsentatio (licet stricte loquendo inter se multum differant, cum uni possit Jus Patronatus competere, quin alterum com-petat, eo quod V. G. hoc alteri donaverit reservan-do.

INAUGURALIS 9

do sibi Jus Patronatus quo ad caetera emolumenta)
& de stylo hodierno, qui Jus praesentandi habet, Pa-
tronus dicatur, qui verò non habet, tantum beneta-
tor vel fundator appelletur, hinc Jus Patronatus se-
cundum principaliorem suam partem definiendo dico :

Jus Patronatus nihil est aliud, quam Jus seu fa-
cultas nominandi sive praesentandi idoneum Clericum
ad beneficium vacans.

Dixi : *idoneum* id est talem, qualem ipsum esse de-
siderat natura beneficii, & lex fundationis. Undè si
haec praescribant vocari V. G. sacerdotem vel con-
sanguincum, non poterit alias cum effectu praesenta-
ri, interim inter plures consanguineos non tenetur
absolutè patronus laicus praesentare dignorem, cum
id tantum Tridentinum à Patrono Ecclesiastico sig-
nanter requirat, quò ad alium verò praescribat sim-
pliciter, ut praesentetur idoneus *sessione 24ta C. 18.*
imo, cum ibi tantum de beneficiis curatis sermo sit,
ac fundator eo ipso, quod dignorem praesentare ex-
presle non jussérit, Patronis liberam omnino electio-
nem reliquissē censendus sit, hinc quò ad beneficia
simplicia, idem de Patrono Ecclesiastico statuendum
esse judico.

Dixi *Clericum* : nam laicus quo nomine etiam ve-
nit Clericus conjugatus *C. 9. X. de Clericis Conjug.*
nisi quod si habitum & tonsuram deferant clerica-
lem, privilegio canonis gaudeant. *C. unico eodem in*
6to. non est capax collationis, ergò nec praesentati-
onis CARD. DE LUCA de *J. P. Diff. 46ta n. 4.*
Citans VIVIA : *L. 6. C. 3. n. 12.*

Dixi *vacans* : nam praesentatio facta ad benefici-
um adhuc plenum est ipso Jure nulla *C. 2. & 13.*
X. de Conc. praeb. & *C. 2. eod. in 6.* eo quod sal-

B

tem

10 DISSERTATIO JURIDICA

tem respectu praesentati subintret votum captandae mortis; interim si patronus erronee putans vacare beneficium ad illud praesentet, & hanc praesentationem datâ verâ vacatione promoveat, aut saltem nec tacitè nec exprestè revocet, illam a die vacationis convalescere ait CONR. L. 4. C. 6. n. 30. quam sententiam defendi posse existimo, eo quod ipsa non praesentatio alterius, yim habere videatur novae presentationis illius, qui alias nulliter praesentatus erat.

Dividitur autem Jus Patronatus, *imo* in Ecclesiasticum, laicale, & mixtum. Illud dicitur, quod quis ratione beneficii vel dignitatis in aliquâ Ecclesiâ possidet, vel quod ex bonis Ecclesiae comparatum, aut illi à laico sine reservatione datum, cum hoc eo ipso Ecclesiasticum evadat. *C. unico de Jure Pat. in 6.* Laicale dicitur, quod alicui Clerico vel laico competit ratione patrimonii, quod in erectionem beneficii impensum est. Mixtum vero, quod partim ex Ecclesiae bonis, partim ex patrimonio constitutum, si-
vè quod ex personis laicis & Ecclesiasticis coalescit, ita ut omnibus & singulis aequaliter competat hic notar *VAN ESPEN Loco cit. C. 2. n. 10.* quod in du-
bio, quale sit Jus competens Clerico semper prae-
sumendum sit esse laicale, eo quod Laici plerumque
sunt Ecclesiarum fundatores.

Olim omne Jus P. ejusdem fuisse naturae, nec ul-
lam divisionem, aut distinctionem notam fuisse tra-
dunt communiter interpretes; ast postquam Concili-
um generale 8vum anno 869 celebratum ita statuit:
Quod si Episcopus convictus fuerit construxisse Mo-
nasterium in redditibus Ecclesiasticis, tradat ipsum ei-
dem Ecclesiae, si vero de propriis rebus aut aliis qui-
busdam conventionibus, habeat id secundum propriam

vo.

I N N A U G U R A T I O N E S 11

voluntatem & potestatem omni vitâ suâ & post finem vitæ dimittat & conferat hoc quibuscumque voluntet, non tamen saeculare diversorum fiat: ac deinde Papa in assignando tempore patronis ad praesentandum variare caepit, ut patet ex Capit. 3to & 22do X. de Jure Pat. statuerunt DDres unanimi calculo admittendam esse divisionem & distinctionem inter utrumque ius. quod deinde per Bonifacium 8vum in C. unico de jurep. in 6. approbatum fuit.

Dividitur 2do ius. in haereditarium, gentilitium & mixtum, illud dicitur, quod transit ad haeredes etiam extraneos. Hoc quod fundator voluit pertinere ad gentem seu familiam suam vel alterius à se nominatae personae, mixtum vocatur, dum ad utramque qualitatem nempè haereditariam & gentilitiam respexit. Hic notandum, quod licet fundator ab initio tantum requisierit qualitatem haereditariam, ex post tamen accidente consensu ordinarii, aliam nempè gentilitiam adjicere possit, eo quod tunc primo vocatis nullum adhuc jus quae situm ad haereditatem, cum viventis nulla sit haereditas, & consequenter neque ad ipsum jus patronatus & sic promovetur Ecclesiae bonum, cum illi aperitur spes acquirendae citius per extinctionem familie, pristinae libertatis LOTTER L. 2. Q. 10. N. 17.

Dividitur 3to ius. in personale & reale, illud dicitur, quod alicui independenter ab omni re competit, hoc vero, quod ad aliquem spectat, intuitu alienus rei V. G. castri aut villae, & cum illa ad quemcumque verum possessorem transit, haec distinctio fundamentaliter habet ex C. 18. de Sent. & L. 7. de jurep.

Differentiae utriusque juris principaliores sunt, quod

B 2

in

12 DISSERTATIO JURIDICA

in Ecclesiastico patronatu ad praesentandum concessum sit tempus semestre, non detur locus variationi, in praesentando, subintrent derogationes factae per Concil. Trident. & reservationes Apostolicae, in laicali verò praefixum sit tempus quadrimestre, detur locus variationi re adhuc integrâ, non censeatur illi, derogatum per reservationes, nec per collationem papalem, nisi in illa expressa ejusdem mentio fiat.

Q. 1^{mo}, an, sicut patronatus laicalis ex patrimonio laici acquisitus per legatum aut donationem perveniens ad Ecclesiam fit Ecclesiasticus, sic & hie perveniens ad laicum, fiat laicalis? R. negat. Ratio disparitatis est, quia in primo casu beneficium ad naturam suam primaevam revertitur, secundum quam non nisi à personis Ecclesiasticis conferri potest, in secundo vero casu omnino à natura sua defleteret, unde cum de mutatione Ecclesiastici Juris in laicale nihil in jure statutum, sicut de altera mutatione invenitur C. unic. de jurep. in 6. merito in 2^{de} casu contrarium defenditur.

Dixi regulariter, nam si Laicus acquisivisset jusp. Ecclesiasticum titulo oneroso V. G. permutatione per Papam approbata, contrarium probabilius videtur dicendum, cum alias Ecclesia in nimis exorbitante lucro versaretur BARB. *Jur. Eccles. L. 2. C. 2. N. 16. pirrh. hoc tit. N. 4.* Dices datam disparitatem vel ex eo insufficientem esse, quia patronus nequaquam beneficium sed ordinarius confert. Resp. strictè quidem loquendo patronus non confert beneficium, cum ad illud tantum offerat & praesentet subjectum, in effeta tamen confert, cum ordinarius praesentatos, si alias idonei sint, repellere nequeat, ut patet ex Concil. Tolet. 9. Cap. 2. sic statuente: *quod si spretis (aut ut*

INAUGURALIS 12

ut legitur in Codicibus Vaticanis teste Glossa ad Cap. 16. Quaest. 7. C. 32. superstitibus) fundatoribus re-electores praesumpserit Episcopus ordinare, haec ordinatio irrita sit, & ipse ad sui verecundiam alios, quos fundatores elegerint, ordinet. Unde dicit LAUDATUS VAN ESPEN C. 5. Num. 8. praesentationem esse collationem necessariam, quasi necessitate cogente praesentato faciendam. & Cap. 1. Tit. 26. de instit. in fine praecipuas in provisione beneficii patron. esse partes patroni praesentantis, ut potè qui totius provisionis ponit fundamentum, ipsumque ordinarium quodammodo constringit, ut praesentato collationem faciat.

Hic tamen probè notandum, quod Patronatus laicalis permaneat, si à laico sub hac lege jusp. donatum Ecclesiae fuerit, ut laicale permaneret, cum dicta lex praeservet illud in suo statu, & nihil mutatur, quam persona habentis ministrare, per quam mutationem non mutatur qualitas naturalis ipsius rei LEUREN. in foro benef. de Jurep. sat. 1. C. 1. Q. 16. N. 7. LOTTER L. cit. N. 5.

Quaeres 2dò an beneficium fundatum à clero ex redditibus perceptis ab Ecclesiâ, cui deservit, sit juris patronatus Ecclesiastici? Resp. Si clericus talis vixit in loco, ubi generalis consuetudo legitimè praescripta viguit, quod clericu de talibus bonis pro libitu disponere possint, tunc cum omnia bona talis clericu indistinctè censeantur ipsius Patrimonium, ac in illis succedatur ab intestato, licet ab Ecclesiâ acquisita sint, sicut in patrimonialibus, dico beneficium ab ipso erectum esse Jurisp. Laicalis. Ratio est: quia tunc verè fundatum est ex bonis patrimonialibus, respectu quorum Ecclesiasticus censemur Laicus.

B 3

Nec

14 DISSERTATIO JURIDICA

Nec obstat, quod fundator sit persona Ecclesiastica, cum ad dignoscendum, an beneficium sit juris. Laicalis nec ne, non inspicitur, quis fundaverit, sed ex quibus bonis fundaverit, uti omnes fatentur.

Si verò in alio loco talis Clericus fundator vixit, dico jus pat. debere reputari Ecclesiasticum, ratio: quia sicut empta ex emolumentis Ecclesiae efficiuntur Ecclesiae *Cap. 7. de pecul. Cleri.* ita & ista, quae ex bonis Ecclesiae fundata fuere, illius fieri debent, non autem efficerentur Ecclesiae, si Jusp. fieret laicale, & eo ipso ad haeredes transmissibile, interim quia juxta ferè communem sententiam pecunia ex distributionibus quotidianis vel aliis parsimonialibus conflata in dominio Clerici est, ut quo ad primum apertè convincitur *ex C. un. de Cleri. non resid. iu. 6.* quò ad ~~ad~~ dum verò ex eo probatur, quia cum pars redditum respiciens congruam sustentationem Clerici immunis sit ab onere restitutionis Ecclesiae, ut nemo negat, etiam ut talis censeri debet illa quota, quae parciūs vivendo, Clerico superabundat *NAV. quaest. 1. mon. 26. de redit. Eccles. LESS. de Inst. C. 4. dub. 6. N. 37.* hinc & Juspat. ex tali pecuniā acquisitum cētendum esse laicale salvo meliori existimo.

Q. 3. Quale censeri debeat Clerico & Laico competens Jusp.? Rs. si dictæ personæ semper praesentent Cumulativè, & uterque præsentationem subscribat, tunc cum jura utriusque patronatū sibi invicem ita misceantur, ut unicum constituant jus, dico Jusp. in dicto casu censeritale, quale patronis magis favorabile est, unde & laicus participabit de privilegio Clerici quò ad semestre, & vicissim clericus de privilegiis Laicis concessis, rationem ejus dat *Glossa ab omnibus recepta in C. unico de Jure Patronat. in 6. co*

I N A U G U R A L I S 15

eo quod propter communionem non privilegiatus fortitatur naturam privilegiati, & iniquum sit, ut in re individuâ, qualis est Jusp., quis ex societate alterius damnum patiatur, quae rationes cum militent etiam pro casu, ubi duo essent Clerici, & unus Laicus, hinc etiam pro illo easu idem obtinere existimo cum FAGN. in Cap. cum propter de jurepat. N. 28. CARD. DE LUCA de jurepat. in summa N. 47. CAST. tract. 13. d. 2. p. 2. N. 3.

Si verò Clericus & Laicus divisim & quasi per turnum praesentent, de quo optimè inter utrumque conveniri posse patet ex Clement. 2. de jurep. tunc ad conciliandos DDres utendum reor distinctione quam tradit VAN ESPEN C. 4. N. 23. vel dicti patroni ita exercent jus, ut quidem turnarius in suo turno nominet, praesentatio ipsa tamen utriusque nomine subscribatur, tunc, cum nec praesentatio, nec ipsum iijusp. propriè divisum sit, sed tantum inter patronos conventum videatur, ut quem unus nominet, eundem alter praescntare velit, & ita communi nomine subscripta praesentatio praesentetur, hinc de tali turnario idem affirmo, quod de patrono mixto supra dixi.

Si autem ita praesentent per turnum, ut compatri-
nus nullam in praesentatione partem habeat, & unius
tantum nomine praesentatio subscribatur, tunc cum
tales patroni in praesentatione non concurrent, sed
quilibet suo jure privatim utatur, siveque non adsit
commixtio Jurium, nec unicum Jusp. quod mixtum
verè dici possit, hinc tale Jusp. ejusdem conditionis
esse dico, cuius est turnarius, nec hic quidquam de
alterius privilegiis participabit, cum desit communio
mater & fundamentum participationis.

Q. 4tò. Cujus juris sit Patronatus spectans ad con-
fra-

16 DISSERTATIO JURIDICA

fraternitatem laicorum approbatam ab Episcopo & affixam certae Ecclesiae? Rs. probabilius laicalis, eo quod per dictam approbationem & affixionem non efficiatur Collegium pium seu Ecclesiasticum, cum alias deberet gaudere privilegio fori & Canonis, & ipsi confratres, ad quorum suffragia sit praesentatio, verè laici sint, nec nomine Ecclesiae praesentent COVARR. *præst. Quæst. L. 36. N. 8.* & ita decisum à Rosa testatur GARZ. p. 5. N. 606. Secùs tamen dicendum erit de illis Laicis, qui in communione vivunt, religiosum habitum gestant, ac privilegiis fori & canonis gaudent, cum tales Ecclesiastici collegii speciem praeferant BARB. N. 7. LOTT. L. 2. *Quæst. 10. N. 44. citans suar. de cens. th. 5. d. 22. Sp. 1. LAMB. L. 1. p. 1. Quæst. 1.* qui illud etiam N. 7. dicendum putat de administratoribus hospitalium ecclesiarum authoritate Episcopi etiam laicis, eo quod talia hospitalia sint loca pia religiosa gaudentia privilegiis Ecclesiae, immò & immunitate, quod GIRZ. etiam procedere dicit, licet non sint erecta auctoritate Episcopi; nam licet tunc non gaudeant immunitate, manent tamen loca pia, eo quod causa pietatis sint instituta, gaudentque exemptione à Jurisdictione seculari, & hoc quoque censuisse testatur idem GARZ. N. 603. *Congreg. Cardin. & N. 612.* docet illud ipsum quoque obtinere in saeminiariis pauperum studiorum, cum & haec sint loca pia & gaudeant privilegiis Ecclesiae.

Q. 5. Quis sit judex in causis Jurispr. Rs. solus Judex Ecclesiasticus C. 3. de jud. eo quod Iusp. iuris spirituali annexum C. 16. de jurep. quae autem talia sunt, saecularium judicio non subjacent C. 2. de jud.

C A-

CAPUT II.

De modis acquirendi Jus Patronatus quo ad proprietatem.

TRes sunt modi, quibus de Jure antiquo communi Jus Patronatus etiam quò ad proprietatem secundum glossam & alios acquiritur scilicet fundatio sive assignatio fundi pro Ecclesiā aedificandā, constructio, dotatio, quos modos glossa comprehendit vers. seq.

Patronum faciunt Dos, aedificatio, fundus.

Verum cum juxta Trident. *Seff. 14. Cap. 12.* Copulativè requiratur, ut fundaverit & construxerit, aut eretam dotaverit, & ibidem in fine, uti & *Seff. 25. Cap. 9.* non nisi duos modos, nempè fundationem vel dotationem agnoscat; hinc de Jure Trident. Non nisi duos modos, quibus Jusp. acquiratur, dari, defendi posse existimo.

Quod si nunc unus solus Ecclesiam fundet & dotet, hic solus patronus in solidum erit, si unus fundet, alter dotet, ambo erunt Patroni in solidum, quia Jus est indivisibile, si denique duo concurrant ad fundationem, unus assignando locum, alter aedicando ibi Ecclesiam, ambo erunt quidem patroni in solidum, licet inaequaliter contulerint, cum stante Jurisp. individuitate ille, qui plus erogat, sibi præjudicare, & consensum dare dicatur, ut sibi aequalis

C

soci-

socius fiat, qui minus erogat CARD. DE LUCA
Loco cit. N. 15. ast habebunt tamen juxta Trid.
 tantum unum suffragium cum dotante, cum juxta
 illud fundans & construens pro uno reputentur.

Ad hoc autem ut acquiratur Jusp. requiritur, ut
 fundatio vel dotatio sponte & voluntariè fiat: nam si
 V. G. haeres à testatore gravatus ad fundandam &
 dotandam Ecclesiam, mentem fundatoris sponte non
 impleat, sed demum per judicem compulsus faciat,
 Jusp. ab ipso non acquiritur BARB. N. 3. *citans*
 LAMB. p. 1. Q. 4. a. 7. & plures rotæ. *Decisiones*,
 nemo enim debet consequi commodum ex eo,
 quod invitus facit *L.* nam *quod S.* qui *compulsus*
L. si patronis ff. ad treb.

Interim dicta in casu, ubi quis sponte aedificavit
 & tantum ad dotationem judicialiter compulsus fuit,
 limitanda esse censeo, cum negari nequeat talem ve-
 rè liberalē erga Ecclesiam sponte in uno puta fun-
 datione, ex qua titulus sufficiens pro jurep. resultat,
 extitisse.

Ulterius requiritur, ut fundatio vel dotatio conve-
 niens sit, ad illum usum, pro quo destinatum est o-
 pus, undē si quis tugurium quoddam aedificasset, aut
 pro dote exiguum villam dedisset, non acquires jusp.
 Cum Trident, tantum illi concedat jus, qui Ecclesi-
 am vel Capellam aedificavit, aut illam competenter,
 id est quantum opus est pro luminibus & aliis ne-
 cessariis ad servitium divinum debito modo celebra-
 dum, dotavit, cum qui insufficienter dotat, dotasse
 non censeatur CAST. p. 2. N. 5. GARZ N. 53.
 qui etiam N. 52. tradit pendere ab arbitrio Episco-
 pi, an dos sufficiens sit nec ne? & N. 60. poitulat,
 ut illud, quod ut sufficiens datur Ecclesiae, detur pro
 do-

dote, cum simpliciter donans, benefactor quidem Ecclesiae dici possit, non dotator, cui solum jura tribuunt patronatum.

Denique requiritur, ut donatio fiat Ecclesiae nondum sufficienter dotatae, nam qui auget tantum dotem de se sufficientem, non dotat simpliciter BARB.

C. 12. N. 56. citans plures rotae decisiones.

Dixi sufficienter, nam qui auget dotem de se insufficientem, patronatum acquirit (ut interminis docet TRID. Sess. 14. C. 12. paria enim sunt in jure non habere dotem & habere insufficientem LOTTER N. 32.) ait tantum de jure singulari sive privilegio papali (de quo etiam Trident. Loqui monet GARZ. N. 123.) siquidem ex augmento dotis quantumcumque illud etiam sit, nunquam Jusp. de Jure Communi, excepto solo casu, ubi prior dos adeo imminuta, ut vix aliquid superesset, acquiritur, ut ait LOTTER N. 43 & innuit rota decis. 457. p. 1. N. 14. dum ait: tunc demum dici dotationem aequivalere juri, quando in totum Ecclesia dotatur, non quando dos solum augetur.

Q. 1. An igitur papa possit ob augmentum dotis Jusp. alicui concedere? Rsi. aff. si enim ipse est ordinarius ordinariorum & Episcopus Episcoporum, sicut ipsum jam anno 142 appellatum fuisse Testatur Baronius, si ipse de jure habet potestatem conferendi omnia beneficia per totum mundum, & ab ipso orta est divisio & collatio omnium beneficiorum Cap. 2. de praeb. C. si Papa de priv. in 6. CLEMENT. si lice pendente, si ipse vocatis Episcopis in partem sollicitudinis non aliter potestatem conferendi ipsis concessit, quam ut penes se major & superior potestas remaneret Loc. cit. & 6. dudum 14. sp. nos igitur

20 DISSERTATIO JURIDICA

de praeb. in 6. Paris de resig. benef. L. 1. Iſ. 10.
 GONZ. ad regulam Canc. 8. §. 1. & hanc potestatem nunquam ipsum a se abdicasse testentur regulæ Canc. & in sequelam harum factae collationes, quid prohibet, quò minus ipse potestate reservatā uti, & beneficium quod ex gratiā Episcopus conferre consuevit, illius collationi eximere, & Jurip. subjicere possit, etiam sinè omni causa, cum omne privilegium & gratiam subditis gratuitò concessum à Principe ad libitum revocari posse testetur GLOSS. *in reg. 16. 7.* *in 6. in ver manjurum*, quanto magis ergo cum causa Ecclesiis adeò favorabili, qualis est augmentum datis.

Q. 2. An ergo etiam Episcopus ob augmentum dōtis Jusp. concedere possit? Rf. neg ob declarationem S. Congregat. Conc. Trid. de 2. apr. 1573. quae sic sonat: *Juspatornatus exprivilegio Episcopi concessum, in cuius pacifica possessione existenterint praetensi Patroni per annos 140 non prodēt, cum enim constet de titulo ex privilegio invalido, centenaria possessio professe non potest ob malam fidem.*

Q. 3. An praescriptione immemoriali acquiri possit jusp.? Rf. Jusp. solo praescriptionis titulo nec in Ecclesia liberā nec alia, quam constat aliquando fuisse patronatam, acquiri potest à Laico, ratio est; quia Jusp. est quid spirituale aut saltem spirituali annexum C. 16. *de jurep.* quae autem talia sunt à laico absque titulo seu concessionē Ecclesiae possideri nequeunt C. 7. *de praef.* consequenter nec praescribi, cum sinè possessione praescriptio non currat per *reg. jur. tertiam in 6.*

Quia tamen ex tanti temporis lapsu titulus habilians laicum ad possidendum, & quidem fundationis vel

vel dotationis ubi Ecclesiam esse patronatam, vel ubi de statu libertatis ab initio constat, privilegii praesumitur, *C. super quibusdam de V. S. L. hoc jure ff. de aquâ quot.* hinc vi hujus tituli praesumpti Jusp. à Laico acquiri posse immemoriali praescriptione censeo, imò quò ad Ecclesiam, quam constat patronatui subjectam ex solâ possessione 40 annorum sufficientem titulum, qui laicum habilitare possit, erui existimo, cum tunc non contra Ecclesiam praescribatur, ac proinde non militet contra praesribentem praesumptio Juris adeò vehemens, sicut in liberâ.

Sed quid dicendum erit de casu, ubi non obstante, quod Cajo ejusque solis consanguineis competere Jusp. ex ipso Documento foundationis probetur, titius non consanguineus Caji Jusp. sibi titulo praescriptio-
nis competere praetendat, an inquam talis praescrip-
tio, si minor sit centenariâ, attendi debeat? Rs. cum
hic non tam contra Cajum, quam contra ipsam Ec-
clesiam praescriptio obmoveatur, cum illa respectu Ti-
tii eo usque dum de privilegio Papali constet omnino
libera censenda sit, attento quod solum vi foundationis
Jusp. ad Cajum pertineat, hinc dico praescriptionem
centenaria minorem, cum illa ad privilegium Pontifi-
cis contra Ecclesiam liberam non concludat, praeser-
tim dum illud cedit in praejudicium veri patroni, non
attendendam esse.

Q. 3. An de jure novo Trid. per praescriptionem
immemoriali minorem acquiri possit? Rs. neg. quia il-
lud requirit absolutè & quidem cuin derogatione om-
nium aliorum Patronatum, ut patronatus sit ex fun-
datione vel dotatione, aut tali praescriptione, quae
hominum memoriam excedat, quod Congreg. Card.
de immemoriali censendum esse, & quidem sine ullâ

22 D I S S E R T A T I O J U R I D I C A

distinctione: an Ecclesia patronata sit nec ne, declaravit, adjungendo, quod decretum Concilii procedat tam in possessorio, quam petitorio.

Q. 5. An etiam per reparationem Ecclesiae acquiratur Jusp.? Rs. affirm. Si ita collapsa fuerit, ut restaurata novâ consecratione indigeat, & consensu Episcopi, qui ad omnem acquisitionem Jurisp. necessarius est *C. 25. de Jurep.* accedat, quia tunc ut ait *Gl. ad C. 3. b. t.* perinde est, acsi ab initio Ecclesiam aedificasset, cum prior Ecclesia esse desinat; ex quo sequitur, quod prior Patronus Jusp. amittat, cum deficiat Ecclesia, in quâ fundamentum illius Juris radicatum erat, nec illud recuperat, licet ex eadem materia nova Ecclesia aedificata sit, cum jus semel extinctum in re pereunte nunquam reviviscat *L. 98. ff. de sol. S. 8.* Si verò non sit penitus collapsa, sed tantum per partes reparetur, tum cum eadem censeatur esse Ecclesia, prior patronus manet, & ille qui reparat Ecclesiam, jusp. non acquirit, nec fundator, sed tantum benefactor dici debet *AZOR p. 2. L. 6. C. 19.*

Quaest. 10.

Q. 6. An ex assignatione dotis Ecclesiae jam consecratae facta cum consensu Episcopi acquiratur Jusp.? Rs. aff. licet enim regulariter Ecclesiae sine dote aedificari nequeat *C. nemo D. 1. de Conf.* & si sine dote sit, consecrari non debeat, nisi dotetur *Gl. in C. cum sicut de Conf.* si tamen indotata existat, ille, qui dotem tribuit, jusp. acquirit, cum jus omnibus dotantibus indistinctim illud concedat, imo hoc ipsum favor Ecclesiae exigit, cum alias tales Ecclesiae, ut cunque sine dote vix ullum commodum afferrent, certò indotatae semper manerent, & TRIDENT. etiam *Sess. 14. C. 12.* non obscurè innuit, unde ait CASTROP.

STROP. P. 2. N. 7. dos subsecuta favore Ecclesiae retrotrahitur ad tempus constructionis & illam praecepsisse reputatur, nec obstat, quod dicit GLOSSA in C. piae mentis Q. 7. quod Ecclesiae consecratae non possit imponi servitus, cum id, quod humani Juris esse desiit, servitutem non recipiat L. caveri ff. comm. praed. id enim intelligi debet de servitute profanâ, de qua etiam dicta Lex loquitur, non de Ecclesiastica, quae de consensu patronorum cum maximo Ecclesiae bono imponitur, quamque etiam Pontifex ob augmen-
tum dotis saepius imponit.

Q. 7. An ad acquirendum jusp. requiratur consen-
sus Episcopi & Specialis reservatio ex parte donantis
vel fundantis? Rs. ad primum affirm. cum omnes ca-
nones & signanter C. 25. X. de jurep. illum tanquam
conditionem sine quâ non requirant. Rs. ad 2dum neg.
eo quod de jure debetur C. 16. Q. 7. C. piae C. de-
cernimus C. quicunque, unde & in C. 14. de testibus
nil nisi probatio fundationis requiritur, & GLOSSA
in C. 10. dist. 1. de Consec. ait jusp. debetur ipso ju-
re, licet fundator non petat, aut in pactum deducat,
interim tamen expedire, ut expressè reservetur, ait Le
roy in prot. h. T. ut sic obviam eatur dubiis, quae
saepius circa renunciationem oriuntur, licet enim ne-
mo jus suum remisisse presumatur, si tamen fundator
statim post erectionem patiatur beneficium ab Episco-
copo conferri, benè ad renunciationem concluditur
LAMB. art. 4. N. 19. Lott. Iss. 7. N. 11. qui et-
iam n. 12. idem tradit de casu, si fundator infunda-
tione protestatus fuerit se moveri V. G. intuitu re-
tributionis aeternae, vel Elemosynae, eo quod tales
causae videantur directè adverſari animo acquirendi
patronatum.

Q.

Q. ultimò An fundans Ecclesiam Collegiatam acquirat in ea Jusp. etiam sive speciali reservatione? Rs. quò ad præsentationem ad Canonicatus, item alia Emolumenta patronorum affirm. quia haec jure debentur ABBAS in C. nobis Card. in C. suggestum X. de jurep. C. cum autem 6. Sacros de elect. Cum eo ipso, quod fundatur Collegato, competit Collegio Electio rectoris C. i. de Elect. Unde cum haec de jure debetur collegio fundator eam legem subire tenetur, quae auctui ipso inest.

C A P U T . I I I .

De Juribus Patronorum.

Tria sunt Jura Principaliora, quae unicuique patrone legitimè constituto de jure competunt, nempè Jus præsentationis, jus alimentorum & jus præcedentiae in Ecclesia & processionibus. Dixi unicuique, nam leges Canonicee nullibi inter patronos discrimen faciunt, nec ullum à patronatu ejusque juribus excludunt, nisi solos infideles p. C. piae mentis C. quicunque fidelium causâ 16. Quaest. 7. undè caeteri omnes sive pater sive filiusfamilias sive pubes, sive impubes, sive major sive minor, sive mas sive faemina, sive infans, sive pupillus fuerit, patroni esse & jura patronorum prætendere possunt, imò & ipsum jus præsentandi per se ipsos exercere, modo non propter aetatem ut infans, & pupillus septennio minor, aut propter ex communicationem majorem impediantur.

D.xi

Dixi *septenniominor*, nam major validè etiam absquè tutore praesentare potest, cum ejus authoritas nullibi de jure requiratur, & licet alias sive tutores interventu celebratum negotium non valere dicatur, id tamen est intelligendum solum de negotiis saecularibus non spiritualibus AZOR *Quaest.* 14. *C.* 2. CAST. *p.* 4. *N.* 2dō imò praeresentationem a tutore non esse admittendam, nisi fiat de consensu & voluntate pupilli septennio majoris docet GL. *in C. ex eo de Elect.* quam sequuntur AZOR, ROCHUS, CASTROP & GARZ. qui *N.* 191. dicit hanc esse communiorem sententiam,

Dixi *mas & faemina*, nam licet canones tantum de masculis loquantur, per hoc tamen faeminae non excluduntur, cum noti Juris sit, quod ubi subiecta materia non aliud suadeat, masculinum comprehendat faeminum ut notat in *C. gener. de Elect.* *in 6.* & probatur ex *C. 25. de jurep.* ubi ait Papa si quis Ecclesiam per tò si quis autem foeminas complecti patet ex *L. 1. de V. S.* imò sub nomine patronus venire patronam docet in terminis *L. 52. de V. S.* quid plura, cum & *Cap. 7. de jurep. de Abbatissis* loquatur.

Ut autem patroni jura sua cum effectu prosequi valeant, requiritur quò ad primum jus, ut non praesentetur inidoneus, qualis est laicus ut *notat. gl. in C. cum adeo de rescript. excommunicatus C. postulatis de Cler. excomm. L. pastoralis de appell. infamis infamia facti C. grave nimis de praeb. Clem. 1. de aetate, illegitimè natus C. eum in cunctis de elect. C. ut filii de filius praesbit. PUER. C. 35. de praeb. sed offeratur & praesentetur persona idonea id est talis, quae secundum Canones & legem fundationis, quae*

exactè observanda, habilis sit, & quidem eo tempore, quo literae praesentationis offeruntur ordinario, cum tunc censeatur fieri praesentatio, nisi illa fortentum conditionatè fieret V. G. ita praesento talem, dum Clericus factus fuerit, aut saltem ut ait GARZ. p. 7. C. 1. N. 29. de proximo clericandum, tunc enim, si intra terminum Juris praesentatus fiat Clericus, praesentationem valere eo quod tunc ipsa censeatur facta de tempore, quo conditio purificetur ait CARD. DE LUCA de summa Jurisprud. N. 109. GARZ. loco cit. Citans LAMB. ulterius requiritur, ut praesentatio offeratur ordinario sive illi, qui habet jus instituendi (adeo ut si scienter & dolose alteri facta sit, collatio devolvatur ad superiorem LEUR. sett. 1. C. 2. Qu. 123.) intra tempus praefixum à jure, quod in patronatu laico est quadrimestre, Ecclesiastico est semestre (hoc tamen tempus in beneficiis curatis indistinctè ad 20 dies à die habitae verisimilis notitiae per constitutionem Pii 5ti, quae incipit in conferendis, limitatum esse refert ex bassaco LEUREN. cit. loco addendo, de hoc apud alios non invenio) in patronatu autem mixto erit semestre ut notat GLOSS. in C. un. de jurep. in 6. BARB. L. 3. C. 12. N. 168. quam sententiam dicit communem CASTROP. tract. 13. t. 2. p. 5. N. 2. quod etiam verum esse censet CARD. DE LUCA, licet plures essent laici, eo quod ratione communionis privilegium Clerici communicetur laicis ad instar ejus, qui rem communem habet cum pupillo L. si communem ff. quemadmodum servit. amitt.

Est autem praedictum tempus continuum & tantum utile ab initio id est, ut non currat, nisi à die notitiae vacationis L. 2. C. 5. de conc. praebendae, cum

cum alias sine culpa puniretur patronus, cum qui nescit, experiundi non habeat potestatem L. 55. ff. de aedil. & haec scientia non praesumitur, cum inverosimile sit patronum scientem Jus suum omittere GARZ. p. 10. C. 2. N. 34. & 37. citans claram rotae decisionem, unde certo & liquidò probari debet, cum sit de substantiâ CARD. DE LUCA D. 64. N. 5. GABRIEL L. 2. Conf. 185. nec sufficit praesumpta, nisi facti circumstantiae probent ignorantiam esse crassam CARD. DE LUCA ibid. ex post verò dictum tempus non est amplius utile, sed currit etiam diebus festivis C. 3. b. T. non tamen currit legitimè impedito, si ipse impedimentum tollere nequeat arg. C. 60. de elect. quae autem sint illa impedimenta docet FLORES de mena var. quaest 3. N. 4.

Quod si nunc infra praefixum tempus patronus aliquem praesentavit hic verò vel dissentiat vel post consensum renunciet, vel moriatur tunc patronus de novo integrum tempus habebit arg. C. 26. de elect. in 6. licet enim hic textus tantum de Electoribus loquatur, quia tamen ratio ibi allegata, *quod nempe eligendo infra Juris terminum fecerint, quod ad illos spectabat*, quadrat etiam patronis, hinc etiam ad illos jure extendi potest, ubi enim eadem est juris ratio, ibi quoque eadem debet esse juris dispositio, modo nihil fraudulenter egerint, nam si de hoc convincerentur, quod fieri debet, cum fraus non prae sumatur, & proinde ille, qui eam allegat, etiam probare debeat, ut notat GLOSS. in C. 26. cit. ex L. quoties ff. de processr. Collatio statim ad ordinarium devolveretur, cum fraus ipsi patrocinari non debeat, & dolus cuique suus, non alteri V. G. or-

D 2 di-

28 DISSERTATIO JURIDICA

dinario, cui ex lapsu temporis jam jus quæsิตum non cere possit, si vero nullum praesentavit, tunc statim collatio spectabit ad illum, qui habet jus instituendi, si ipse sit ordinarius, secus non, cum ad alium quam ordinarium non spectet de jure collatio beneficiorum
C. 3. de priv. C. 12. de hered. & ibi Panorm. N. 2.

Advertendum interim est, quod licet ordinarius non possit abbreviare tempus ordinarium præfixum à lege patronis, eo quod concessum à Jure beneficium nemine sit afferendum, nisi forte magna causa exigeret, cui jus suum postponere patronus debet, illud tamē prorogare possit, modo aliqualis causa adsit, ratio est, quia constitutio temporis facta est in favorem ordinarii, ut eo clapsō rursus perveniat ad collationem, favori autem suo quilibet renunciare potest, id ipsum non obscurè colligitur ex *C. 2. de negl. suppl.* ubi Papa ait, si non praesentent Patroni, licet Episcopos verbum autem licet favorem & licentiam, non necessitatem imponit, ultra semestre tamē etiam cum causa prorogare non potest, cum ultra sex mensēs institutionem differre nequeat, quin ad alterum superiorem devolvatur collatio BARB. L. cit. §. 170. CASTROP p. 5. N. 8.

Porro ad valorem presentationis non requiritur, ut Patronus ipse eam praesentet ordinario sive habenti instituere, neque ut corporaliter praesentatus ipsum accedit, cum nec de uno, nec de altero quidquam in jure cautum sit, & tridentinum, dum SESS. 24. C. 18. prescribit, ut non admittatur praesentatus, nisi ab ordinario examinatus, optimè explicari possit, quod non debeat admitti praesentatus ad institutionem, hinc sufficit, ut praesentetur institutori per literas etiam familiares CARD. DE LUCA d. 64. N. 21. Fa-

Factam verò debito tempore præsentationem de subiecto qualificato institutio (quae de jure communi solo Episcopo *L.* ex frequenti de instit. de jure autem speciali etiam aliis inferioribus competere potest, ut innuit TRIDENT. *Sess. 7. & 25. C. 18.* de ref. & praxis habet) necessario sequi debet, ut patet ex conc. TOLES. nono C. 1. Quæst. 1. allegato. ratio autem est, quia si institutor pro libitu rejicere posset præsentationem, jam jus præsentandi quod tamen præcipua pars patronatus est, nullius momenti foret.

Debet autem institutio fieri cum iisdem qualitatibus, quas fundator ab initio beneficio imposuit, nec illis quidquam detrahere aut addere potest, institutor quicunque sit, ut definivit TRIDENT. *Sess. 25. L. 5.* cum ipse jus quæstitum patrono ut taliter & non aliter beneficium conferatur, afferre nequeat, eo quod hoc ad solum Principem supremum spectat ut probat GLOSS. ex 6. constitutus de relig. dom. accedit, quod fundationes plerumque per ultimas voluntates erigantur, jam vero in his juxta C. tua nobis de test. providendum per Episcopos, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant unde trident. loco cit. omnes provisiones cum aliquâ derogatione factas tanquam subreptitias declarat.

Praedictam definitionem Tridentini etiam procedere in casu, ubi accederet patronorum consensus, declarat CONGREG. CARD. ad dictum locum, adeoque beneficium certam V. G. actatem requirens non posse alteri conferri, eo quod patroni circa ipsum beneficium nullam habeant potestatem ut ait CONGREG. & patet ex C. 16. Q. 7. C. piae mentis.

Fallit tamen haec definitio *ima*, si ipsa immutatio

D 3 cederet

80 DISSERTATIO JURIDICA

cederet in magnum Ecclesiae commodum, cum enim tunc fundator ipse de jure censeatur consentire & de tridentino non possit praesumi quod velit per constitutionem suam Ecclesiae bonum impedire, valebit immutatio.

Fallit 2dō, si derogatio cederet in damnum solius patroni, ut contingeret, si dum fundator solum in praesentando exegisset qualitatem civicam ordinarius cum consensu patroni adderet, ut simul sic ex determinata familiā progenitus, nam haec derogatio valebit, cum ex una parte consentiat ille (intellige de patrono haereditario) in cuius favorem fundatio ereta, quique jus patronatus in totum heredibus suis afferre donando illud Ecclesiae possit, & multo magis illud ex parte alteratum haeredibus relinquere juxta regulam communem, quae habet: non posse impugnari judicium illius, qui dedit minus, dum in eius libertate erat, dare nihil, ex alterā parte promovetur Ecclesiae bonum, dum illa sic libertatem facilius consequetur CARD. DE LUCA d. 18. N. 4.

Dixi *haereditario*, nam in patronatu gentilitio dicta immutatio tantum valebit ad vitam patroni consentientis, eo quod talis non possit praejudicare successoribus, cum hi jus suum non ab ipso, sed à primo fundatore demetiuntur, & Episcopus his non consentientibus jus patron. restringere nequeat, cum non valeat conditionem vocatorum ad iusp. reddere detinorem.

Sicut autem institutio denegari non potest, ubi praesentatio facta est debito tempore de subjecto habili, ita illa nullatenus danda, ubi facta est de incapaci, quin & si patronus clericus inhabilem scienter praesentavit, eo ipso amplius pro ista vice praesentare

tare non poterit, sed collatio spectabit ipso Jure ad Episcopum argum. C. cum in cunctis de Elect., & ita declaravit innocentius 3tius L. 3. regesti. epist. 226. ubi sic praefata Abatissa S. Crucis praesentando indignum illa vice amisit jus praesentationis, quam declarationem tamen de praesentatione scienter de indigno facta explicandam esse docet VAN ESPEN, & sua det ratio, cum alias Innocentius rigorosius cum patronis, quam cum Electoribus Episcoporum procederet, dum iis diligentibus ignoranter illegitimum, qui postulari debuerat, novam postulationem concedit C. 20. de Elect. cum tamen recta ratio postulare videtur, ut magis puniantur, qui indignum ad Episcopatum eligunt, quam qui tales praesentant ad beneficium longè Episcopatu inferius nempè Canonicatum, vel aliud simplex.

Unde dico Clericus ignorantia tamen non crassa & affectata, cum haec aequiparetur scientiae, & consequenter non excusat. C. 1. de ord. ab Epif.) praesentans non privatur jure novae praesentationis, paena enim debet commensurari delicto, hoc autem non fieret, si talis ignorans ob omissam diligentiam in inquirendo, privaretur jure suo, deinde omnis ignorantia sive facti, sive Juris non nocet, si supina non sit & agitur de damno vitando L. 1. L. 7. ff. de juris & facti ignor. Imò ignorantiam non supinam neminem dignum reddere paenam profitetur ipse Pontifex in Cit. C. 1. accedit, quod Electores tantum priventur jure electionis si scienter indignum eligunt C. 18. de Elect. in 6. C. 25. X. de Elect. imò dum eligunt aliquem ob occultum vitium inabilem, conceditur ipsis novum semestre, cur ergò patroni privabuntur jure novae praesentationis, cum electio

32 DISSERTATIO JURIDICA

lectio tribuat si non majus, saltem equale jus electo, quam praesentatis praesentatio, in illa agitur de majori praejuditio, ut proinde etiam major diligentia inquirendo in vitam & mores subjecti electionis debeat requiri, quam in praesentatione, taceo quod Innocentius *3tius C. 21.* Citatum *C. cum in cunctis de Elec.* unde argumentum ab adversariis desumitur, de diligentibus scienter explicit.

Quò ad laicos patronos, illos in nullo Casu privari novā praesentatione verius esse existimo, cum *Gloss. imol. archid. in C. cum vos*, & hanc sententiam receptam esse à Sacra congregazione testatur FAGNANUS *in C. cum vos* eò quod supra dictæ constitutions contrariae loquantur tantum de Electoribus, ac proinde cum paenales sint, ad patronos laicos extendi nequeant & ALEXANDER *tertius in C. 4. de offic. jud. ord.* sinè discriminē mandet Episcopo, ut si Ecclesiam ordinare non possit, eo quod à laicis personae minùs idoneae offerantur, ad interim constituant oeconomum, qui fructus debeat futuris personis fideliter reservare, ad quod C. notat Lyman *cum communi*, quodsi monitus intra 4 mestre non offerat aliū, libera collatio ordinario relinquatur, eo quod paria sint nullum praesentare & praesentare inhabile subiectum, putarem tamen in patronatu gentilio Episcopum astringi, ut aliquem de gente passivè vocatā de beneficio investiat, cum negligentia sive culpa patroni non debeat nocere iis, qui non à tali patrono, sed a fundatore causam habent, & alias ipsi fundationi, in qua reservatum jus activum & passivum, pro gente praejudicium fieret.

Alterum jus patronorum in eo consistit, ut si ad inopiam redacti fuerint, alimenta ab Ecclesiā petere possint,

sint, originem suam hoc jus debet consilio Toletano quarto celebrato sub Honorio 1mo Pontifice de saeculo septimo, in quo ita C. 37. legitur: *quicunque fidelium devotione propriâ de facultatibus suis Ecclesiae aliquid contulerint, si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesiâ suffragium vitae pro temporis usu percipient.*

Non absimile decrevit Leo quartus Pontifex de saeculo nono, dum ita: ut refert GRATIANUS C. 16. Q. 7. C. 29. Carolo Regi rescripsit, *si verò fundatores Ecclesiarum ad inopiam vergere caeperint, ab eisdem Ecclesias temporalis vitae suffragia percipient.*

Has Sanctiones approbavit CLEMENS tertius in C. 25. de jure patron. dum ita statuit, *si fundator ad inopiam vergat, ab Ecclesiâ illi modestè sive ut alii legunt moderatè succurritur, sicut in antiquis Canonibus est institutum, cui consonant verba Pontificalis Romani, quibus Episcopus factâ Ecclesiae consecratione utitur, & ita sonant: Si fundator aut ejus haeredes casu ad egestatem pervenerint, grata recordatione Ecclesia fundatoris piam liberalitatem recognoscit.*

Ex quibus omnibus colligitur primò, quod Ecclesia magis sit obligata suis ministris, quam suis fundatoribus, dum us necessaria vitae subministrale cogitur, licet habeant patrimonialia ut docent PA-NORM. & INNOC. in C. Epis, de praeb. cum nemo suis cogatur militare stipendiis, his verò non aliter, quam si ad inopiam redacti fuerint, in quo casu etiam libertus tenetur alere patronum L. si quis ff. de agnosc. & quidem casu redacti, cum alias non

E

sint

sint commiseratione digni, iisque tribueretur occasio-
bona sua dilapidandi.

Colligitur 2dō Ecclesiam tenere alere pinguis fundatores quam alios pauperes arg. C. 7. X. de test. cum respectu tamen ut ait Glossa ad verbum modestè ad facultates Ecclesiae & qualitatem personae, si quidem ad alendos alios pauperes tenetur Ecclesia tan- tum titulo Charitatis, ad alendos verò fundatores et iam titulo gratitudinis, ut innuit Pontificale in verbo *grata* & sanè si Pontifices non voluissent per sanctio- nes suas statuere, ut fundatores pauperes alerentur pinguis, quam alii, nihil speciale pro patronis statuis- fent, cum Ecclesia jam de se tenetur alere pauperes ut notat GLOSS. ad C. 16. Q. 7. C. 30.

Colligitur 3tiō, quod dum Canones volunt, ab Ec- clesiis praestari fundatoribus vitae suffragia, seu ut lo- quitur rubrica ad C. 25. de jurep. alimententur ab Ec- clesiis, fundatores non solum alimenta, sive cibum pe- tere possint, sed etiam vestiarium & habitationem, cum sub nomine alimentorum veniant L. ult. ff. de alim- eò quod sine iis corpus alii nequeat.

Tertium Jus Patronorum consistit in facultate pe- tendi praecedentiam sive primum locum in processio- nibus, hoc jus adscribunt quidem Canonistae S. Ge- lasio Papae, qui in saeculo 5to Ecclesiae praefuit, ast cum idem Papa ut refert Gratianus C. 16. Quæst. 7. C. 26. & 27. tantum fundatoribus concedat tales processionis aditum, qui omni Christiano debetur, non video, quomodo ex iis praecedentia quaedam e- rui possit, cum id, quod omnibus debetur, si uni ex- preslē concedatur, praecedentiam quandam, ut patet, non involvat, undè hoc Jus majori cum ratione CLE- MENTI tertio adscriberem, qui fundatoribus ut li- quet

Quet ex C. 25. de jurep, processionis honorem tribuit, nisi ipse Pontifex in verbis finalibus se ad Sacros Canones, per quos non alii quam Gelasii, cum alii de hoc jure altum silentium teneant, intelligi possunt, retulisset dicens sicut in Sacris est canonibus institutum Honor autem processionis in eo consistit, ut si fundator sit Princeps magnae potentiae ipse, ut prescribit, Pontificale Romanum Precessionaliter excipi debeat, sin securus, ipsi dandus sit honorabilior locus in processionibus, juxta praescriptum pontificalis tit. de consecr. in verbis: fundatores eorumque heredes in processionibus primosesse debere. putat insuper VAN ESPEN C. 7. de jurep. Patronos posse praetendere, ut incensentur in Ecclesiis, aquâ lustrati aspergantur, nomina eorum in publicis precibus legantur antè aram, ut quo ad vivunt, eis locus in choro assignetur, mortui autem ibidem sepeliantur, fatetur tamen N. 38. consulendam esse consuetudinem, unde juxta hanc omnia ista definienda esse existimo.

Caeterum alimentatio & processionis honos competit omni patrono, cum Pontifex in citatis capitulis utatur verbis *quicunque*, si quis queis omnes complecti supra probatum necesse est ut specialiter haec iura in fundatione reserventur, cum de jure debeat.

Q. imò an fundator se ipsum aut suum filium presentare possit? Rs. ad imum neg. patet ex l. 26. de jurep. cum sapiat ambitionis vitium, & distinctio esse debeat inter patronum & praesentatum, inter dantem & recipientem C. cum ad nostram de Inst. imò nec potest per alium à se deputatum semet ipsum presentare, quia sic virtualiter ipse se praesentaret, cum quidquid facit delegatus, non suo, sed delegantis no-

36 DISSERTATIO JURIDICA

mine facit, nec quod unā viā prohibetur, alterā viā concedi debet, interim potest à Compatrono praesentari, & per acceptationem hujus praesentationis in causa, ubi plures essent patroni, numerum votorum sibi favorabilium augere, si enim hoc juxta communem sententiam in electione valet, cur non in praesentatione obtinebit? Rs. quò ad secundum affirm. cum nullibi hoc interdictum, & fictio Juris, quā pater & filius reputantur pro unā personā, in spiritualibus non attendatur ita ABBAS. BARB. AZOR.

Q. 2. An patroni in praesentando variare possint? Rs. antequam praesentatio institutori oblata, omnibus variare licet, cum enim tunc adhuc desit praesentationi essestiale requisitum nempe intimatio praesentationis facta institutori, nulli praesentato est jus aliquod quaesitum ad beneficium, sed tantum ut possit agere pro ipsa institutione LOTTER L. 2. Quaest. 13. N. 14. ABBAS in C. cum BERTHOLD. N. 12. de sent.

Si verò praesentatio pulsavit aures Episcopi, tunc patronus Clericus amplius variare nequit, quia, ut ait, Innocentius Quartus ad C. 24. de jurep. Clericorum praesentatio habet vim electionis, & de jure antiquo nemini variare licebat, quod cum solum, quò ad laicos per C. 24. cit. mutatum invenitur, hinc quo ad Clericos antiquo juri standum, cum ut ait L. praecepimus C. de appell. jura antiqua non debeamus dicere correcta, nisi correcta inveniantur, accedit, quod Clerici praesentent nomine Ecclesiae, ac proinde variatio ipsos quā tales summè dedebeat, cum sit signum in constantis animi.

Ex quibus sequitur, quod oblatā praesentatione ipsi institutori praesentato, si socium non habeat, & ali-

aliundè habilis sit, firmum jus eo quod patronus amplius variare non possit, ad beneficium acquisitum sit, secus si praesentati plures fuerint, tunc enim, cum institutor possit ex conjunctim praesentatis quem voluerit admittere, nullus jus firmum in abstracto habet, quamquam omnes in concreto jus habent, ut unus ex illis instituatur.

Laicus autem patronus re adhuc integra id est, quam diu non est secuta institutio, variare semper potest *C. 29. de jurep.* non quidem tollendo primo praesentatum, cum persona, quam patronus semel approbavit, qui ex hac approbatione & facta presentatione institutori jam jus ne removeatur, acquisivit, ab ipso amplius reprobari non possit, imò si patronus expressè (secus non praesumitur, cum nemo censeatur velle agere contra juris permissionem) primum refutaret, jam absolutè huic refutato danda foret institutio, ita *ABBAS in C. cum autem GUTIER de jure conf. p. 3. N. 4. BARBOSA & alii,* eo quod secunda praesentatio utpotè contra juris permissionem facta sit nulla, ac proindè tanquam non facta reputetur. Sed adjiciendo & accumulando unum, imò & successivè plures, cum per hoc nullum inferatur praejudicium ordinario, sed potius ejus libertas in Electione dignioris augeatur.

Decisio hujus Quaestionis fundatur potissimum *in C. 24. de jurep.* ubi facta Papae propositione, quomodo Ecclesia ordinanda, ubi Patronus non refutato primo praesentato postulet, postmodum alium admitti, Respondet Papa, si laicus patronus est, id pendere arbitrio Episcopi, si Clericus, primò dandam institutionem, cum qui prior tempore, potior jure conseat, hoc ipso enim, quod arbitrio Episcopi relinquitur,

tur, quem ex duobus praesentatis à Laico velit admittere, innuitur, quod laici validè possint variare, cum alias primo praesentato, qui seclusa potestate variandi solum praesentatus existit, necessariò deberent dari institutio, cum haec praesentato habili nunquam denegari possit *C. Decernimus C. 16. Qu. 7.*

Ex dictis sequitur, quod per praesentationem Laici nullum Jus firmum sit datum praesentato, ita ut ipsi necessariò beneficium conferri debeat, cum laicus variando efficere possit, ut Episcopo detur facultas illum respuendi, & secundò praesentatum admitti, datum verò sit praesentato à Clerico, cum hic variare non possit unde dicit GLOSS, Clerici patroni jus pinguius habent, quam laici, id est, ut expoit ZARABELLA ad C. 24. de jurep. ex eorum praesentatione plus juris tribuitur praesentato, quam ex laicorum.

Q. 3to An laicus post emissum juramentum de non variando, licet & validè variare possit? *Rs.* Licet variare non posse, quia ageret contra juramentum & fidelitatem datam praesentato. Ad *2dum* *Rs.* CASTROP. non validè variare posse, eo quod aetus, qui coram superiore fieri deberet, si fiat contra juramentum, est nullus, fatetur tamen ipse se non moveri ad hanc sententiam amplectendam ratione, sed auctoritate DDrum, undè putat esse etiam validam secundam praesentationem, si eam Judex admissit, ego autem cum Panorm. qui contrariam opinionem communi sententiā reprobari dicit, sentio aetum contra juramentum validum esse, & consequenter variationem valere.

Moveor primò ex eo, quia nullibi in jure talis aetus invalidus declaratur, eo quod in *C. dilecto filio de*

de praeb. ad quod adversarii plerumquè confugiunt,
de hoc Puncto Pontifex tantum incidenter locutus
est, nec rationem decisionis ut putat COVAR. p.
2. s. 2. N. 10. *de jure conf.* in juramento praecisè
fundat, sed potius in aliis ibi allegatis causis, quarum
valor jam per C. 20. *de praeb.* approbatus erat, imò
dictum Cap. *dilecto* non continet decisionem Papae,
sed tantum allegationem partium, unde ex eo nihil
cum fundamento erui potest.

Secundò quia GLOSSA *ad C. un. de proc. in 6. ad Vrevocatus*, dicit procuratorem revocari posse, licet
dominus juraverit non revocaturum, imò Papa in C.
22. & 31. *de spons.* censuit valere sponsalia de praes-
senti contracta, post alia de futuro juramento firma-
ta, accedit, quod Papa saepius in suis rescriptis pa-
rificet juramentum cum confirmatione Apostolica V.
G. dum dicit: statuta juramento aut confirmatione
Apostolicā firmata, & tamen aëtus contra tale statu-
tum confirmatione apostolicā firmatum valet, ut pa-
tet ex C. 7. *de const.* & notat GLOSS *ad C. dilec-*
to de praeb. denique hoc ipso quod ut CASTROP
fatetur, valet praesentatio secunda, si eam ordinarius
admisserit, non obstante juramento, sequitur, quod
valeat variatio contra juramentum, quia, si non va-
leret, jam secunda praesentatio orta ex ipsa variatio-
ne admitti non posset, cum orta esset ab initio infe-
ctio, & quia ex prima praesentatione munita juramen-
to de non variando jam primo praesentato esset jus
quaesitum, quod ordinarius tollere non potest, ut no-
tat GLOSS. *ad C. 6. de relig. dom.*

Q. 4tò An lité pendente inter praesentatos super
praesentatione si unus ex iis obit, vel renunciat, va-
riare seu alium in ejus locum surrogare valeat, ante
quam

quam constet de jure sive valore praesentationis in personam superstitis: Rs. non posse ob constitutionem Bonifacii octavi in C. 1. ne lite pendente in 6. ratio desumitur ex C. 2. ejusdem ne propter novos adversarios litigia prorogari contingat in grave dispendium Ecclesiae, quae ratio cum etiam valeat in praesentationibus, meritò etiam ad illas dicta dispositio C. 1. licet tantum de electionibus loquatur, extenditur, immo si unus ex praesentatis jam institutus esset, res extra omne dubium foret, cum C. 2., quod ad differentiam prioris de hoc casu loqui notat Glossa, signanter etiam de praesentatione loquatur.

Dixi lite pendente inter praesentatos, secus enim dicendum, ubi inter Patronos & Episcopum praendentem libertatem, aut inter patronos ipsos super pertinentiam jurisp. lis foret, quia cum tunc per variationem non multiplicantur nec prorogantur lites, cum jus praesentantis rapit ad se jus praesentati sive vivi, sive defuncti, sicut in primo casu, ubi si defuncto surrogatur alter, semper discussendum manet jus defuncti, ut si constet de ejus jure, alias tanquam intrusus rejici possit, hinc cessat dispositio Bonifacii, cum cesseat ejus ratio finalis.

Q. 5to An propter litem protractam ultra tempus praefixum patronis ad praesentandum, possit Episcopus beneficium conferre? Rs. Id videtur dicendum ob C. 2. 12. 22. 27. ubi dicitur, quod Episcopus debeat ordinare Ecclesiam de persona idonea, si quaestio inter patronos non fuerit definita; verum, cum praxis in contrarium vigeat, ac durum foret, si patronus ob litem frivolam ab adversario motam jure liberae praesentationis privaretur, ac adstrictus maneret ad eum absolute praesentandum, quem Episcopus instituit,

stituit, licet ipse alium debito tempore praesentasset, hinc contrarium probabilius defendi existimo, prae-
sertim cum nec Electoribus currat tempus, si neque-
ant ipsi impedimentum tollere C. 60. de Elett. ad
contraria capitula Rs. quod debeant intelligi vel de
casu, ubi ab eo, qui jusp. evicit, nullus praesentatus
debito tempore existit, vel ubi, ut ait CARD. DE
LUCA *Cit Lap.* urget gravis ratio scandali vel quod
debeat ordinare Episcopus ad interim, substituendo
scilicet aliquem, qui leges & onera fundationis ob-
servet arg. C. 4. *cum vos de off. jud. ord.* quo ipso
cessat damnum alias ex vacatione timendum, quod tan-
tum praecavere voluisse Papam extra dubium est, &
huic meae interpretationi favet aperte GLOSS. dum
ad C. 3. dicit, *ordinet antistes, ponendo electorem,*
ita quod ipsum postea repraesentet, si voluerit. vel de-
nique de casu, ubi nullus in quasi possessione praen-
sentandi existit, secus enim ut ait HOSTIENSIS ad
C. 3. cessat dispositio.

Dixi inter patronos, nam si inter Episcopum praetendenter v. g. praesentatum non esse idoneum, aut
beneficium non esse patronatum, & inter patronum lis-
oriatur, certum est, quod Episcopus conferre non pos-
sit, tum quia citati canones & tantum de lite inter pa-
tronos loquuntur, tum quia alias Episcopis daretur
ansa excitandi & protelandi lites, ut sic ad collatio-
nem pervenire possint CASTR. p. 5. n. 7. BARB.
alleg. 72. N. 140.

Q. 610 Si in fundatione dicatur, praesentetur Cle-
ricus, an talis absolute debeat habere quatuordecim
annos Rs. neg. si aliter cautum sit in fundatione, cui
per tridentinum non est derogatum *Cit declaravit con-*
gregatio consilii, quod etiam CARD. DE LUCA ex-

42 DISSERTATIO JURIDICA

tendit ad fundationem Tridentino posteriorem) aut saltem fundatio erecta sit ante Trident. secùs affirmativè, ratio colligitur ex mente fundatoris, qui semper prae sumitur se voluisse accommodare dispositioni Juris quod tunc vigebat *L. conficiuntur ff. de jure Codic.* jam verò de jure antiquo sufficiebat septennium ad obtinendum beneficium ut *testatur ABBAS in C. præterea de aetate*, sicut de novo Jure absolutè requiruntur 14 anni TRIDENT. *Seff. 23. C. 6.*

Q. 7mo Quinam censeantur vocati in patronatu gentilicio sive mixto? Rs. id generali regulâ definiri non posse, sed juxta verba fundationis & communem loquendi modum definiendum esse, hinc cum fundator dixit: reservo mihi & meae familiae, sive meis ascendentibus & descendantibus, sive meis consanguineis vel cognatis, censemur vocati omnes tam de sexu masculino, quam faemino progeniti, cum & illi in jure sub dictis terminis veniant *L. 51. ff. de V. S. L. 1. S. consanguineos ff. de suis & leg. L. 1. C. de imponenda.*

Quod verum puto licet adjeccerit consanguineis proximioribus de genere vel cippo, cum hi termini sint naturales ac proinde etiam faeminas comprehendant LOTTER. *L. 2. Q. 11. N. 78. 82. PARIS L. 2. Conf. 35. N. 6.*

Si verò dixit: reservo mihi & meis agnatis, soli cognati virilis sexus vocati censemur, tum ob communem loquendi modum, tum ob *L. 2. ff. de suis* nihil tamen refert, sive veniant illi ex linea recta sive transversa auth. de hered. ab intest. MEN. *Conf. 424. N. 33. LOTTER loco cit. N. 54.*

CAPUT.

C A P U T . I V.

De juribus competentibus Episcopo & Patronis
circa ipsam Ecclesiam patronatam.

CUM praeter processionis aditum id est Jus Patronatus ut ait GLOSSA ad *C. piae mentis* nihil fundatores proprii Juris in Ecclesiis habeant *C. Cito & C. frigentius* *C. 16. Iss. 7.* ipsaeque cum dotibus in Episcopi potestate consistant *C. 10. Q. 1. C. 2. & 6.* ac ab eo jura earundem ordinari & bona administrari debeant *C. 3. & 5. eadem causa*, hinc salvo jurep. Episcopus eadem, quae in aliis Ecclesiis peragere, & hic facere potest, undē illas visitare, abusus emendare, defectus ministrorum corrigere, & ut officium divinum ritè peragatur, & onera foundationum debitè adimpleantur, invigilare potest, cum haec de jure Episcopo facere incumbant, TRIDENT. *Seff. 21. C. 8. & Seff. 22. L. 8.* & per ea jusp. non laedatur.

Econtra ea, per quae jus patronatus vel directè vel indirectè afferetur aut laeditur, Episcopis interdicta sunt *C. Monasterium* *C. 16. Q. 7.* accedit, quod ultimis voluntatibus, ex quibus communiter procedunt tales foundationes, Episcopus derogare nequeat *C. tua nobis de test.* nec ille jus alicui sub approbatione Papae, quale est jusp. concessum afferre aut illi ex parte derogare possit, cum hoc sit solius principis summi ut ait GLOSSA in *L. Constitutus de relig.*

Unde sequitur, quod Episcopus non possit invito patrono extra casum magnae utilitatis vel necessitatis beneficium supprimere, aut dotem ejus diminuere, illud alteri accessoriè unire, aut pensione aliquā gravare, nam per suppressionem, aut unionem accessoriā tollitur beneficium, fundamentum jurisp. per diminutionem dotis autem & per impositionem pensionis, fit praejudicium patrono, cum beneficia gravata, aut quorum dos imminuta non ita aestimentur ut alia, quod ipsum quo ad suppressionem & unionem jam extra omne dubium est ob C. 15. TRIDENT. Sess. 24, & declarationem confilii ad C. 5. Sess. 21.

Dixi extra casum, nam tunc illa invito patrono ab Episcopo peragi posse censem communiter Doctores, quos citat LAYMAN de Eccles. benef. L. 4. tratt. 2. 6 13. N. 12., eo quod patronus tunc censeatur irrationabiliter invititus.

An autem Episcopi possint mutare leges fundationis, de eo jam supra C. 3. dictum est, cui addendum primò, quod si leges respiciant cultum divinum, vel memoriam defuncti, aut commodum familiae ipsae etiam consentiente patrono alterari non possint, nam piam & honestam fundatorum voluntatem observari naturalis aequitas postulat C. 13. Qu. 2. C. 4. L. 1. Cod. de S. S. Eccles. auth. de nup. s. disponent secundò si leges dubiae sint, eas interpretari possit & debeat Episcopus j. TRIDENT. Sess. 22. C. 8.

Quaeres si Ecclesia aliqua vel simplex vel parochialis erigatur in collegiatam invito patrono laico Pontifice (Episcopus enim non potest similem erectionem facere ut declaravit congregatio concilii, quam in terminis citat LEUR. Seet. 2. S. 2. de alte Q. 964. N. 2.) an patrono inquam salvum maneat jus patroni
Rs.

Rs. affirm. etiam quò ad praelaturam, eo quod patrōno competit antē erectionem jus nominandī rectorē, huic juri nunquam censeatur derogare Papa, nisi signanter exprimat, GLOSS. ad L. 25. & Abbas. ibid. non obstat, quod Praelatus eligi debeat, id enim intelligendum regulariter & nisi de aliā mente Pontificis constet, aut in fundatione cum consensu Episcopi id jus sit exceptum, quod fieri posse innuit C. 25. in verbis: nisi alitet & docet COVARR. p. 2. S. 10. de jurep. citans ROCHUM, LAMBERT & CARD. DE LUCA.

Q. 2dō An per unionem factam beneficii patronatus cum libero invito Patrono amittatur jusp. Rs. imprimis tales uniones esse Episcopis prohibitas per conc. TRID. Sess. 7. C. 6. & Sess. 24. C. 13. Rs. 2dō si tamen illae à Papā factae fuerint, dico extingui jusp. in veteri beneficio, eo quod ipsum extinguatur, ac nunquam amplius vacare dicatur, & consequenter nec conferri possit, sed transferri ad ipsum beneficium liberum, cui unio facta, nisi jurip. antiquo expresse sit derogatum in instrumento unionis, ita COVARR. Tratt. 2. C. 36. N. 11. dicens esse communem opinionem & GLOSS. communiter recepta in Clement. 2. de praeb.

Nunc de Juribus Patronorum paucis dicendum restat, unde sit conclusio patronis competit jus animadvertisendi in conservationem locorum à se vel parentibus in Ecclesiam collatorum eaque patrocinandi ita conci. TOLET. 61. & 2. unde postea gloriosum nomen patronorum consecutos esse tradit VAN ESPEN P. 2. Tit. 25. L. 1.

Ad ductum hujus concilii possunt patroni curam habere, ut bona Ecclesiae conserventur, Dos beneficii

non alienetur, fundatio & cultus divinus exactè observetur, imò delinquentes Clericos fraternè corrige-re, aut Episcopo corrigendos denunciare j. C. I. Conc. Tolet. *imi*, hoc tamen praetextu non possunt ipsi Jurisdictionem aliquam in Clericos sibi arrogare *Contra C. 8. de jud.* nec sacramentorum administra-tionis aut Episcoporum visitationi se immiscere contra TRID. *Seff. 24. C. 3.* nec in perceptione fructuum beneficiorum se ingerere, sed illos liberè rectoribus di-stribuendos relinquere debent TRID. *Seff. 25. C. 9.*

Ulterius si fundator ipsis reservavit fructus aliquos ex beneficiis, quod fieri posse (cum & censum ipsis imponere potuit *C. 16. de Cens.*) patet ex *C. prae-terea de jurep.* hos ipsi exigere possunt, non tamen iis permissum est nova onera etiam cum consensu E-piscopi beneficiis imponere, cum non possint voluntatem defuncti circa Deo dicata immutare, cum hoc soli Papae sit reservatum, nec de antiquis oneribus quidquam remittere TRID. *Seff. 25. C. 5.* nec reducere onera missarum in fundatione appositarum, licet redditus sint valde tenues, uti censuit *congregatio concilii ad Seff. 25. C. 4.*

Deinde competit Patrono jus praesentandi Clericos ad beneficia, non tamen, nisi aliter cautum in fundatione, rectorem in collegiatà, cum hoc pertineat ad ipsum collegium *Cap. 25. b. P.* nec ponere eu-studem aut oeconomum in Ecclesia, cum hic ex proprio Clero eligi debeat *C. 16. Q4. 7. C. 21.*

Dixi Jus praesentandi, nam instituere non potest, cum Institutio de Jure pertineat ad Episcopum *C. 3. de Instit.* nec conferre beneficium *C. quod autem C. transmissae*, unde collatio si quae facta, nulla est, cum ut ait PAPA *C. 5. b. T.* pro non dato habe-

tur,

tur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare, adeò ut nec collatio valeat in vim praesentationis ut patet ex *Citat. C. transmissae.*

Quaeres quis institui debeat, si plures praesentati existant? Rs. si plures isti habent aequalia merita & suffragia, tunc sive hi ab uno, sive à pluribus praesentati existant, datur locus gratificationi *dist. 63. C. si forte, C. 25. de jurep.* si verò habeant inaequalia merita & suffragia, ille praeferendus, qui majoribus juvatur meritis & plurimorum approbatur assensu *C. quoniam.* rursus si habeant aequalia suffragia, sed inaequalia merita, erit dignior praeferendus *argum. C. si forte dist. 63.* ubi metropolitano praecepitur preferre electionem dignioris, quia maximè decet, ut in jure electionis praefetur *is,* qui Ecclesiae utilior & convenientior est, & cayetur fieri ordinatio illius, qui non fuit postulatus, & ob hanc rationem puto etiam Episcopum, dum duo aequaliter sunt, à diversis patronis praesentati, non posse instituere tertium aliquem, contrarium sentiunt AZOR, VASQUETZ, quorum tamen sententiam amplector, ubi urget gravis ratio scandali, cum propter hoc saepius à Jure stricto recedatur *C. 3. b. T.*

Si denique habeant aequalia merita, sed inaequalia suffragia, ille praeferri debet, qui majora habet suffragia, quod etiam procedit de casu, ubi praesentatus à minore parte esset magis habilis LOTTER L. 2. Qu. 34. N. 33. citans LAMB. GARZ. & ROTAM in Pampill. Parochialis 26 July 1626.

CAPUT

C A P U T V.

De probatione Juris Patronatus, ejusquè translatione.

CUM concilium Tridentinum advertisset multos sibi in Ecclesiis vindicare Jus patronatus, quin justo aliquo titulo suffulti essent, hinc ut usurpationibus oviam iret, lanicavit *Seff. 14. C. 12.* ut nullus imposterum alio quam fundationis aut dotationis titulo illud impetrare posset ac deberet & *Seff. 25. C. 9.* reliquos omnes patronatus alio titulo antecedenter acquisitos in totum prorsus abrogavit & irritos declarat, exceptis solis patronatibus super Cathedralibus Ecclesiarum, ut & illis, qui ad summos principes jura imperii in dominiis suis habentes pertinent, & qui in favorem studiorum generalium concessi sunt.

Praedictus titulus probatur duobus modis, primò per authenticum documentum sive bullam Episcopalem erectae fundationis & acquisiti Juris patronatus, quae si in originali produci non possit, debet exhiberi ejusdem exemplar seu transumptum munitum debitissimis requisitis *cum de fide Inst.*

Secundò praesumptivè & implicitè quoad privatas personas, in quibus suspicio usurpationis locum non habet, per multiplicatas presentationes, per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam exceedat, aliasvè ut verbis trident. Utar secundum Juris dispositionem, id est ut explicat CASTROP *d. 2. p. 3. N. 6. citans GONZ. BARB.* tales probationes, quibus

bus de jure communi probatio tituli conceditur, quales juxta ipsum sunt, fama cum longissimā quasi possessione, possessio quadragenaria cum titulo, cum illa aequivaleat immemoriali, relationes authenticae ex libris visitationum Episcopaliū, literae inscriptae lapidibus publicē positis referentes tales esse patronos, monet tamen CARD. DE LUCA, an probationes sufficientes sint, id ex circumstantiis facti dijudicandum esse.

Probè hic Notandum, quod Trident. praeter multiplicatas præsentationes requirat antiquissimum tempus id est centenarium, ut putat BARBOSA *de postest. Episcop. p. 3. alleg. 72.* MENOCH. *de arbit. casu 3.* cum aliis undè dicit congregatio conc. non est satis afferenti sibi competere juspatr. ex fundatione quod una præsentatio de anno 1554 & altera de anno 1561 effectum sortitae sint, sed ostendatur simul antiquissimum tempus, quo ipso tamen congregatio innuit duas præsentationes sufficere, quod verum putat BARB. *loco cit. N. 31.* RICCIUS *in pr. resol. 127.* cum versemur in materiā odioſā & juris communis restrictivā, & pluralis locutio & dictio multiplex in duobus verificari possint *j. reg. Jur. in 6.*

Cum autem approbationem temporis trident. relinquat juris dispositioni, hinc dico illud etiam per testes probari posse, nec requiri, ut illi centum annorum sint, sed sufficere ut sint sexagenarii aut ut putat MOL. *L. 2. de primog. C. 6. N. 40.* ad minimum quadragenarii, modo illi deponant, quod toto tempore vitae viderint præsentationes continuatas & audiverint ita semper antecedenter factitatum esse, licet caeteroquin de jure præsentationis, an ex jure foundationis vel dotationis sit, nihil deponant, nec de hoc ipsae

50 DISSERTATIO JURIDICA

praesentationes mentionem faciant, ut decidit s. congregatio 23 Jun. 1594. & docet GONZ ad reg. 8. Cancell. gl. 18. N. 26. RICCIUS decis. 142. N. 12. GRILENSON Conf. 41. eo quod hoc ipso, quod praesentationes continuatae, praesumatur dictus titulus, donec de initio infecto aut nullitate tituli constet, quo ipso necessariò corruit praesumptio ex depositione testium & praesentationibus resultans, cum praesumptio cedat veritati.

Dixi quò ad privatas personas, nam quo ad alias, ut & quoad communitatem & universitates Tridentinum non est contentum allegatā praesumptivā probatio[n]e, sed requirit, ut praeter immemorialis temporis probationem, & reliqua ad eam necessaria probetur, & quidem non aliter, quam per authenticas scripturas, quod taliter continuatae praesentationes, à quinquaginta annis retro semper effectum sortitae fuerint, cum in talibus susp. potius ex usurpatione quasitum praesumi soleat; quinam autem sub hoc decreto comprehendantur, Tridentinum non explicat, congregatio autem concilii ut refert LEUR. Sect. 1. C. 1. Quaest. 84. h. t. censuit omnes illos complecti, qui in loco, ubi V. G. beneficium fundatum super vasallos jurisdictionem perpetuam habent, licet ipsi superiorem agnoscent, cum ab omnibus iis ob potentiam timendum, ne Ecclesia opprimatur, quae ratio cum etiam militet contra communitatem parochianorum, hinc & eam complecti tradit GARZ. p. 5. C. 9. N. 102. citans rotam, quae tamen teste GONZ. L. cit. N. 55. contrarium decidit, quoad Capitulum Cathedrale quod de Luca extendit ad omnia alia capitula & universitates Ecclesiasticas, cum praeter praesumptionem non usurpati Iuris, resultantem à Jurisdictione vel visitatione, quâ sub-

ji-

jiciuntur Episcopo, cadat in illos verisimilitudo factae fundationis.'

Circa dicta notandum *1mō* quod Trident. requirat tempus immemoriale (quod tamen per testes probari poterit, cum de hoc nihil in particulari statutū) & quod intra tempus *50* annorum semper præsentationes continuatae fuerint cum effectu, undē non sufficit inter tres præsentationes probare primam & tertiam, cum secunda apparente contradictrōe potuit esse rejecta, & sic abrupta continuatio; nec sufficit dicere, quod probatis extremis media probata censeantur, cum hoc non concludat, ubi de verā probatione agitur, & continua-
tio perfectè probanda est.

Secundō, ut haec per authenticas scripturas probentur, undē cum scriptura pro forma requiritur a TRIDENT. ut patet ex verbis, *non aliter & deci-
dit congregatio in una Nullius 25. 8ber. 1592.* hinc per aequipollens suppleri non potest *L. cum si ff. de
trans. L. non dubium C. de leg.* interim, si per te-
stes probaretur amissas esse scripturas, illique simul deponerent, quod scripturae nullo vitio laboraverint,
& illae etiam retulerint omnes præsentationes cum effectu esse continuatas, verius est, satisfieri menti concilii, eo quod in hoc casu præsentationes & illarum continuatio cum effectu non tam ex dictis testi-
um, quam ex scripturis ipsis visis & lectis probetur,
& ideo cum etiam leges requirentes in aliis casibus pro forma scripturas tali probationi in casu amissionis acquiescant ut tradit FEL. in *C. sicut de sent. mas-
de probat. cons. 416.* CASTROP & alii, hinc etiam TRIDENT. dum de casu amissionis nihil disponit,
acquiescere censendum est.

Tertiō quod haec rigorosa probatio requiratur tam

52 DISSERTATIO JURIDICA

in petitorio quam possessorio, uti decidit congregatio
 1608. 13. Febr. declarando simul ut refert FAGN.
 ad C. consult. de jurep. non esse admittendos ad prae-
 sentationem, licet essent per 40 annos in possessione,
 nisi suum jus ad normam decreti probaverint, censu-
 it tamen illos admitti, si praesentatus ab ipsis adhi-
 bita cause cognitione super Jure per ordinarium post
 Trident. semel admissus fuerit ita GONZ. ad Glass.
 18. N. 26. licet ex post dubium subortum.

Advertendum interim hic est, quod rigorosa pro-
 batio cesset, ubi primo constet Ecclesiam esse verè
 patronatam, secundo ubi tantum peterent Jura hono-
 rifica, tertio ubi contra compatronos jus suum defen-
 dere volunt, aut ubi cum ipsis concurrit aliqua per-
 sona, in quam non cadit suspicio usurpationis, ratio
 est, quia mens Tridentini tantum fuit liberare Eccle-
 sias à servitute, vel praeservare, ubi ergo illud Tri-
 dent. assequi non potest, sicut in dictis casibus non
 assequitur, ibi standum probationi à jure antiquo re-
 quisitae.

Advertendum ulterius, quod ad probandam posses-
 sionem jurisp. à privatis, in quos non cadit suspi-
 cio usurpationis nihil aliud post Trident. requiratur,
 quam quod alias de jure ad probandam possessionem
 requiritur, cum nullam majorem probationem ne qui-
 dem ab ipsis requisivit quò ad proprietatem, undè
 sufficit, ut probet quis se esse in possessione de prae-
 senti, per ultimam præsentationem constitutum, licet
 de caetero nullum actum anteriorem probare possit,
 cum actus unicus praesertim ultimus, sufficiens sit ad ob-
 tinendam manutentionem etiam in beneficialibus CORR.
 L. 4. C. 4. N. 9. GRATIAN. Discept. for. C. 3.
 N. 71. & signanter de actu præsentationis, quam se-
 cuta

cuta institutio. post obs. 18. N. 16. GARZ. p. 5. C.
 5. N. 59. VIVIAN. in praxi jurisp. p. 2. L. 5. C.
 2. adçò ut praesentatus a possessore talis sit preferen-
 dus praesentato à praetendente proprietatem, si ejus
 jus non sit clarum, nec in continentि probari possit,
 imò si de ejus jure primò post institutionem consta-
 ret, institutus non sit amovendus C. 19. X. de jure
 patron. cum ut ait ibidem gloss. non debeat irritari,
 quod legitimè factum, licet ad eum casum deveniat,
 à quo incipere non potuit, ac possessor B. f. fructus
 consumptos faciat irrevocabiliter suos, saltem si non
 fuit locupletior factus, ut per praesentationem nemo
 fieri prae sumitur, si verò constaret ante institutionem
 de Justitiâ proprietatis, tunc cum res est adhuc inte-
 grā, repellendus foret, cum regulare est, quod peti-
 torum absorbeat possessorum.

Dicta etiam procedunt, licet nondum probaverit
 descendantiam à fundatore aut antiquis patronis, cum
 ad hoc non teneatur eò quod alias deberet probare
 titulum, ad quod etiam in beneficialebus possessor B.
 f. ad effectum obtainendae manutentionis non tenetur
 post. obs. 42. N. 28. citans varias rotæ decisiones,
 cum manutentio sine productione tituli detur MA-
 RESC. var. resol. C. 1. C. 11. N. 12.

Progrediendo nunc ad alterum membrum hujus capi-
 tis dico jusp. transfire posse in alios, successione qua-
 licunque, donatione, permutatione, venditione CA-
 STROP tract. 13. D. 2. p. 4. BARB. de pot. Ep.
 alleg. 71. CORRAD. L. 4. C. 5. AZOR p. 2. L.
 6. Conf. 20. Q. 4. hos modos GLOSS. C. 16. Q. 7.
 C. 26. comprehendit sequenti versu:

*Jura Patronatus transfire facit novus haeres
 Res permutata, donatio, venditioque.*

G 3

Q 30

54 DISSERTATIO JURIDICA

Quò ad primum modum sciendum, quod si fundator sibi ac haeredibus reservavit patronatum, tunc quicunque existit haeres, modo aliunde capax sit, acquirit Patronatum, cum transit cum hereditate CAST. N. 2. BARB. N. 3. unde si vel fundator ipse vel ejus haeres ingredieretur monasterium, &c in eo non facto antè ingressum testamento moreretur, illud cum haereditatem capit, obtinet quoque juspatro. modo haeredi non fuisset delatum jure sanguinis, hoc enim in casu tantum acquireret exercitium durante vita monachi, post mortem verò jus devolveretur ad alios consanguineos GARZ. p. 5. C. 1. N. 555. PAMB. de jure abb. th. 3. d. 9. quæst. 28.

Ulterius infertur, quod si filius à patre in re certa loco legitimæ, vel etiam in ipsa legitima haeres esset institutus, instituto alio haerede universali in hoc casu solum juspatron, ad haeredem universalem pertineret, ratio quia transit cum universitate bonorum, quam haereditas continet, non legitima, licet enim haec sit jus quoddam universale, non tamen est universitas, cum legitima sit tantum quota bonorum, haereditatis pars v. L. PAPIANUS ff. de inoff. testam. L. 2. S. si quarta. ff. famil. erciscund. & haeres talis in re certa institutus est instar legatarii L. quoties C. de haered. instit.

Porrò dum Juspatronatus ad haeredes transit, singulari, attento quod jus illud ad instar aliorum jurium est individuum & indivisibile C. 1. hoc tit. & ibi Gloss. possident illud in solidum, sive pro aequali sive in aequali parte sint haeredes arg. ff. de serv. vind. unde & cuilibet in solidum competit locus honorificerior, & in casu egestatis alimentatio, ac omnes in solidum concurrunt ad præsentationem, ita tamen ut

præ-

praesentatio non dividatur, cum jus nominandi sit indivisibile CAST. Cit. L. AZ. ibid. Q. 9. PIRRH. N. 45. b. t.

Sed ut unica nominatio nomine omnium fiat, unde dicit INNOCENT. ad C. cit. jus hoc quidem esse apud omnes in solidum, quo ad Jura honorifica, sed non quo ad praesentationem, quae ita est apud omnes simul, ut apud nullum singulariter sit, item Gloss. cit. ius patronatus apud unumquemque haeredem est in solidum quo ad omnem ejus effectum ff. de bo. lib. si libertus, praeter sacerdotis presentationem, quae est apud omnes, ita quod apud nullum.

Cumque hi haeredes jus suum dimetiuntur ex persona patroni defuncti, hinc nec plus juris habent in praesentando, quam defunctus habuit, cum ille plus juris in ipsos transferre non potuit, quam ipse habuit j. Reg. Jur. in 6 quare si plures fuerint patroni, horum singulorum haeredes unum tantum votum habebunt, cum & unum tantum habuisset defunctus, quod etiam verum est, heet ex patronis istis, unus V. G. duo, alter sex reliquisset haeredes, cum enim hic successio fiat jure representationis in stirpes CLEMEN. de jurep. C. 2. hinc hi sex aequè tantum unum votum habebunt, quam alii duo, cum illi aequè ac hi unum tantum representent, ac in locum unius succedant, unde & pro uno reputantur GLOSS. ad CLEM. citatam ff. de conditio. & dem. cui fundus. cum ex pluralitate successorum non varietur obligatio ff. de verb. obli. L. 2.

Dicta confirmantur tam ex Synodo SALISBURG. tit. de jurepatron. dum ita statuit: si Patronus plures filios aut haeredes reliquerit, omnes illi succedant in stirpes, quam etiam ex cit. CLEM. ubi sic Papa plures

plures ab uno Patrono relicti haeredes vocem dunt
xat unius habebunt, quia verò ex multitudine patronorum quò ad præsentationem in præjudicium Ecclesiae discollia oriri posset, hinc permisit idem Papa patronis, ut liberè, id est juxta GL. sine autoritate Episcopi convenire inter se possint de rectore inter se alternis vicibus præsentando, ita ut unus primus, alter verò secunda voce præsentet.

Quò ad secundum modum sciendum, quod Patronus Clericus sìne consensu Episcopi non possit alteri Ecclesiae, multò minus laico juspatronatus suae v. g. dignitati aut beneficio annexum donare, eo quod ipse hoc non possidet nomine proprio sed Ecclesiae, de cuius juribus in præjudicium Ecclesiae disponere nequit, deinde ipse non est dominus, sed tantum usufructuarius Jurisp. & consequenter illud donare non potest. Similiter nec laicus licet possideat juspat. jure proprio, illud sìne tali consensu alteri laico donare potest C. 23. b. t. eo quod ex tali factō facilè Ecclesia damnum pati posset, nisi forte iste laicus esset suus compatronus, quia tunc ex una parte non intervenit vera donatio seu jurisp. in alterum translatio, cum alter jam sit patronus in solidum, quia jus est indivisibile C. 1. b. t. & sic in veritate nihil donat, sed tantum juri suo renunciat, ex alterā verò parte damnum Ecclesia non patitur, sed potius lucrum capít, cum loco duorum Patronorum unum accipiat, & sic à dupli ci servitute liberetur.

Sìne consensu autem laicus Jus suum Ecclesiae concedere potest C. si laicus C. illud X. de jurep. imò & eidem Ecclesiae cuius patronus extitit, non quidem hoc sensu, ut ipsa fiat patrona, cum inter dominantem & servientem debeat esse distinctio, nec quidquam

ubi

fibi ipsi rectè servire dicatur, sed ut efficiatur libera & redeat ad ordinationem Episcopi, non tamen potest Ecclesiam ipsam alteri Ecclesiae per modum incorporationis concedere C. 8. C. quod autem h. t. undè si hoc animo dedisset, tota donatio esset invalida, eo quod ut ait Pontifex L. cit. pro non dato habetur, quod ab eo datur, qui non potest de jure donare, undè nec in hoc casu jus patronatus translatum censembitur, eo quod patronus, quod agere & dare poterat nempè Jusp., noluit, & quod voluit, nempè ipsam Ecclesiam, non potuit, sed manet penè antiquum patronum C. 10. h. t. cum non praestat impedimentum, quod de jure, uti hic donatio, non sortitur effectum C. 18. h. t. reg. Jur. in C. Si verò de animo dubium esset, tunc censembitur voluisse dare, quod suum erat nempè Jusp. ne delusoria intelligatur donatio argum. L. si domus S. ult. ff. de legat. 1.

Cum consensu autem etiam ipsam Ecclesiam alteri Ecclesiae dare potest C. 5. 8. 17. de jurep. imò etiam si subsequatur, valebit donatio C. 11. de jurep. & consensus retrotrahitur in favorem Ecclesiae ad initium donationis.

Quoad tertium modum, dico juspatronatus reale V. G. affixum castro, cum alio castro, cui simile jus adhaeret, sive Episcopi consensu permutari potest, quia quandocunque jus patronatus transit cum universitate, ut in haereditate aut in venditione & permutatione castri, consensus non postulatur, eo quod talis transitus est de jure approbatus C. ex litteris, & consensus jam in initio fundationis intervenit, ac jus patronatus tantum per accidens & accessoriè transferatur.

Dixi cum universitate, secùs proindè est dicendum
H ubi

53 DISSERTATIO JURIDICA

ubi transfertur ex legato, cum hic sit titulus particularis, nec contineat universitatem, nisi forte transferretur in Ecclesiam, cum legatum sit species donationis, ac proinde sicut non in hac est necessarius consensus, sic nec in legato.

Quod quartum modum sciendum, quod Jus patroni solitariè & per se vendi non possit C. 16. de jurep. eo quod sit spirituali annexum, sicut nec permutari jus personale patronatus, immo talem permutationem vel venditionem nullam esse existimo per ea; quae tradit Gl. ad C. 23. de jure patronatus, & quia similes pactiones & contractus nullius dicuntur esse momenti, nec de jure tenere C. 8. de pactis C. praeterea de trans. & C. 23. cit. atque ipso jure venditorem privatum existere suo patronatu, TRIDENT. sess. 25. C. 9. unde Ecclesia e- vadet libera juxta GLOSS. ad C. 6. de jurep.

Cum universitate autem vendi licite & validè potest C. 7. 13. de jurep. eo quod tunc jus ipsum spirituale non vendatur per se, sed per accidens, & per modum accessionis, non potest tamen intuitu hujus juris ipsa universitas carius vendi, quia tunc ipsum jus pretio temporali aestimaretur, & re ipsa aequè ac universitas pars seu merx ipsius venditionis fieret ac venditioni subjiceretur. Quaeres primò an per Tridentinum eo ipso, quod reliquos omnes patronatus praeterquam ex fundatione vel dotatione acquisitos abrogavit, censeatur etiam abrogatus patronatus ex augmento dotis concessus? Rs. ad hunc casum declarasse congregationem 14 Febr. 1594 quod talis non sit abrogatus, si ille ante diem Calendas Maji 1564 jam 40 annis competit, secus verò examinari debat ab Episcopo, qui si ipsum non inveniat ob evidentem Ecclesiae utilitatem concessum, revocare debeat,

beat, reddito tamen patronis eo quod idcirco ab eis
datum.

Quaeres secundò, cui competit jus patr. si mulieri
in dotem datus sit fundus, cui jus patr. annexum?
Rs. marito, cum regulariter ad eum transeat, qui do-
minium utile talis fundi assequitur *C. ex litteris.* hoc
verò solum competit marito *L. 9. ff. de R. V. L.*
11. 23 C. de jure dotum, deinde ad ipsum omnes
fructus etiam ad onera matrimonii supportanda non
conducentes spectant ut notat *GL.* communiter rece-
pta ad *L. 30. C. de jure dot.* consequenter etiam
praesentatio spectare debet, cum haec beneficiorum
fructibus annumeretur, ut ex *GLOSS.* refert *VAN.*
ESPEN l. 4. n. 11. secùs verò dicendum, ubi non
doti sed bonis *V. G.* paraphernalibus affixus esset pa-
tronatus, eo quod in his nullum jus habeat maritus,
imò contradicente uxore, nequidem administrationem
L. 8. C. de pact. Conv. & ibi GLOSS.

Quaeres tertio, num Jus patronatus competit fidei-
commissario haeredi vel usufructuario omnium bono-
rum, an haeredi directo? Rs. directo, ob praesum-
ptam defuncti voluntatem, cum enim ipse hunc direc-
to & honorifico haeredis nomine nobilitat, censetur
etiam eo ipso illi donasse jura illa, quae non tam ad
pecuniarium commodum, quam ad honorem pertinent,
ut Jus pat. undè & tali haeredi restitutâ haereditate
manent jura sepulchrorum *L. perinde ff. ad treb.* li-
cet illa alias etiam transeant ad extraneos *L. 5. ff. &*
seq. de sump. fun. manent etiam jura libertorum *L. si*
patroni ff. eod. tit.; quod si verò testator uni fundum,
alteri ejusdem fundi usumfructum legasset, tunc me-
liorem esse usufructuarii conditionem existimo, eo quod
tali competit omnes fructus ex fundo, & consequen-

60 . DISSERTATIO JURIDICA

ter etiam ex annexo tali fundo jure pat. cuius fructus est praesentatio, cum de connexis idem sit judicium, praesertim ubi ex conjecturis V. G. mente defuncti, contrarium elici non possit.

Quaeres quartò, an apposito sequestro alicui beneficio, cui jus patronatus annexum, illud competit ipsi sequestro? Rs. si sequester appositus est ex voluntate partium, tunc pertinebit supposita capacitate subjecti, ad ipsum sequestrum, quia ita inter partes actum videtur, ut ipse omnes fructus beneficii possit colligere, ac in hoc casu etiam possessio in ipsum translata censemetur GOZ. P. 5. C. 6. N. 18. si vero sequester appositus est auctoritate Judicis, tunc, si aliquis est in possessione beneficii ad illum pertinere censeo, quia iniquum videtur, ut talis privetur commodo possessonis suae, praesertim ubi propterea non sit deterior conditio alterius colligantis, nec ipse possessio locupletior, si vero nullus est in possessione tunc Episcopum debere ordinare beneficium putò eo modo, ut supra ad Q. 5. C. 3. annotavi, scilicet quod debat ad interim ponere oeconomum; Quaeres quinto, an in elocatione fundi cui iusp. annexum, illud transfeat in conductorem? Rs. affirm. si elocatio facta est ad firmam, ut ait C. 7. de jurep. sub quo vocabulo elocationem ad longum tempus intelligi cum communni docet LE ROY in prolog. & fagn. ad dictum Caput, cum talis elocatio sapiat naturam contractus emphiteuticarii censualis quo utile dominium transfertur, quo facto omnis usus rei & jurium ipsi annexorum est apud utilem dominum solo titulo dominii directi remanente apud ipsum dominum directum L. 1. s. 1. ff. si ager vectig. quam rationem etiam approbat rubrica ad C. 7. cit. secus dicendum de locatione

tione ad modicum tempus, quod CASTOP putat esse infra decennium, eo quod talis locatio non mutet dominium *L. 39. ff locati*, nec veram possessionem transferari.

Q. 6^{to} Num transeat jusp. in creditorem ratione pignoris? **R.** neg. ob *C. 18. de sent. & ibi Glos.* accedit quod in talem crediorem nec utile nec directum dominium transferatur, nec usus rei regulariter concedatur, cum tantum in securitatem creditoris pignus detur, ipseque si usus fuerit pignore, fructus omnes inde provenientes in sortem computare, juxta *C. 1. & 2. de usuris*, & qui sortem superant debitori restituere debeat, cum igitur ipse hoc jusp. in sortem computare nequeat, eo quod hoc ipsum, dum spirituale est, aestimari non possit, hinc sequitur, quod nec tali jure uti possit, unde Synod. Salisb. de anno 1420 Can. 22 ita statuit.

Ad omnium quoque disputationem fivè Quaestitionis materiam amputandam statuimus, ut si quis praedium suum, cui jusp. attinet, cuiquam obligaverit indistincte jus praesentandi apud ipsum obligantem resideat, cum tale jus aestimari non possit . . . & in sortem nequeat computari, cum semper fructus rei pignoratae in sortem debeant computari juxta Canon. & Legitimas sanctiones

Q. 7^{mo} An transeat in depositarium? **R.** neg. cum in eum nec possessio nec dominium transferatur & res apud ipsum solius custodiae causa deponatur *L. 1. ff. dep.* cum omni causa & fructibus restituenda *L. 1. f. 24. ff. dep.* Imo ipse si re invito domino usus fuerit, actione furti teneatur *L. 29. ff. depositi*.

Quaeres octavò, an in confiscatione bonorum transeat ad fiscum jusp. **R.** affirm. Si ipsis hisce bonis fuit affixum, eo quod semper transeat cum universitate *C. ex litteris C. cum Saeculum de jurep.* licet haec transeat tan-

tum, quoad utile dominium, ut signanter dicit rubri-
ra & docet GLOSS. cum communi ad C. ex litteris,
unde multo magis ad fiscum transire debet, cum hic
plenum dominium consequitur, eo quod accipit libe-
ram facultatem de rebus iis disponendi, in qua subsistit
substantia Domini L. in re mandata C. Mand. Cov. th.
2. var. ref. L. 3. C. 6. n. 6. Secus dicendum ubi jus
competit jure sanguinis, aut sit jus personale, nam tunc
in primo casu transibit ad consanguineos, cum injustum
foret ut hi punirentur à personâ, à qua jus suum non
dimetiuntur, in Secundo casu manet apud delinquen-
tem usque dum à Judice Ecclesiastico sequatur senten-
tia declaratoria, eo quod tunc est jus separatum ab ipsa
universitate GARZ. p. 5. C. 9. aufrer de potest. saecul.
reg. 4tâ Gigas & Alij.

Dixi Ecclesiastico cum enim patronus accepit jusp.
ab Ecclesia non potest illo privari à Judice saeculari.
lata vero sententia jusp. licet alias foret transmissibile
ad haeredes, exspirat, & Ecclesia fit libera.

Q. Nonò num venditâ haereditate cui jusp. afixum,
transeat illud in Emotorum Rs. cum certum sit, quod
jusp. etiam Ecclesiasticum possit transire ad haeredes
extraneos, ut notat GLOS. in C. considerandum C. fi-
liis 16. Q. 7. & docet ABBAS in C. 1. de jurep. LAM-
BERT p. 12. L. 1. Q. 2. de jure pub. Cum communi,
eo quod & in emptorem alicujus villae, cuius annexum
transeat C. ex litteris C. cum saeculum. Certum quoque
sit, quod haereditate vendita omnia ea invenditione ve-
niant, quae quoctunque titulo aut causa ad haeredem
venditorem jure haereditis spectant L. 2. S. 1. L. 14.
S. 1. de haered. vend. eo quod ita inter emptorem &
venditorem actum videtur, eo ipso dum nihil exceptum,
hinc dico ad Emotorum spectare, quod in casu tradit.e.
hic.

haereditatis extra omne dubium est, siquidem ipse per traditionem fit Dominus haereditatis sive rerum haereditiarum L. 6. C. L. 21. ff. de haered. vend. Per consequens etiam Dominus jurisp. licet ipse haeres etiam post venditionem de jure haeres maneat eo scilicet effetu quo d maneat obligatus creditoribus haereditariis, quibus ipse per additionem haereditatis se adstrinxit L. 88. de haer. inf. Cum venditio non sit modus constituendi formaliter alium haetedem L. 8. C. de haer. vend. Secus tamen dicendum ubi juspat. non spectaret ad haeredem qua haeredem, eo quod illud tantum potest censi venditum, quod haereditati ipsi cohaeret, non quod alio titulo ad ipsum spectat L. 2. S. 2. ff. de haer. vend.

CAPUT ULTIMUM.

De derogatione & amissione Juris patronatus.

Dérrogatur Jurip. si Papa alteri confert beneficium, quod alias non nisi ad praeſentationem patronorum conferri consueverat, aut si beneficium ipsum cadat sub reservatiouibus apostolicis.

Dixi si PAPA, quod enim hic omni juripat. sive il-
lud ex causa onerosa laico sive Clerico competit, ex
plenitudine potestatis in Ecclesiae utilitatem derogare
possit, nemo dubitare potest, si enim Princeps saecu-
laris ex causâ utili reipub. jus alteri quaeſitum imò &
dominium auferre potest L. Item si ff. de 2. V. L. Ven-
ditor ff. Comm. praed. quid ni & PAPA ex cauſa pro-
ficiua Ecclesiae jusp. privato auferre potest, cum ipse
eandem, si non majorem in beneficialibus potestatem
ha-

habet, quam Princeps in temporalibus. Imò hanc potestatem competere Pontifici ex ipsa fundatione existimo, non enim credibile est Papam ita concessisse ius pat. ut omnimodam potestatem conferendi alteri beneficium, si ita Ecclesiae bonum exigeret, a se abdicaverit, aut fundatores dum fundando beneficium, Ecclesiae consulere voluerunt, ejusdem majorem utilitatem impedire voluisse: ut ut autem Papa possit derogare reputat. ut cum glossa communiter recepta in *Clement.* 2. omnes Canonistae fatentur, juxta *Cov. var. ref. C. 36.* N. 1. LAMBERT. de *jurep. L. 1. p. 3. Q. 9.* rarissimè verò patronatui laico, frequenter tamen Ecclesiastico derogare solet, eo quod Clerici ex ipsis bonis Ecclesiae jus acquisiverunt, econtra laici ex bonis propriis, ac proinde horum jus fortius & majus est, quam istorum, qui nihil ex suo ad fundationem contulerunt.

Proinde cum ea, quae Papa facere non consuevit, facte non praesumatur, nisi aperte constet, hinc quounque collatio facta à Papa de beneficio subiecto patronati laicali, adhuc aliquo modo dubitationi subjacet, an Papa, si scivisset nominationem ad laicum spectare, eam spredo laico fecisset, aut ipsa collatio de derogatione Jurisp. Ecclesiastici intelligi possit, non censetur derogatum jurip. & proinde laicus libere praesentare possit, quod verum est, licet Papa in collatione utatur terminis, ad cuiuscunque presentationem beneficium pertineat, siquidem sub id cuiuscunque intelligi potest Episcopi vel alterius V. G. Capituli CASTROP. de *benef. Pract. 13. D. 2. p. 25. n. 4.* LESS. L. 2. c. 34. COVARR. L. cit. n. 2. imo ut censeatur derogatum jurip. Regi competenti, non sufficere, ut Papa addat, ad cuiuscunque laici, sed requiri insuper ut addatur, cuiuscunque laici regis, patet ex reg. Canc. 43. cum enim Reges

ut po-

utpote de Ecclesia bene meriti jus fortius habent ut tacitè ipsum TRIDENT. *sef. 29.* agnovit, dum abrogando omnes Patronatus ex privilegio ortos, Regum Patronatus excepti, hinc etiam sub generali vocabulo laici non comprehenduntur.

Quae hucusque dicta sunt de Patronatu verè laicali, ut nempe eidem non censeatur derogatum, nisi Papa id ipsum signanter exprimat, eadem obtinent etiam in Patronatu mixto PIRRH. *N. 134 b. t.* COVARR. *C. cit. N. 4.* CASTROP. *N. 6.* nec non in casu, ubi solum bona fide est in possessione praesentandi; ratio prioris, quia par non est, ut in re individua socius ex persona Ecclesiastici damnum patiatur, ne alias a fundationibus deterreantur, contra mentem Ecclesiae, quae, ut laici excitarentur ad foundationes, jusp. introduxit. ratio posterioris: quia si in dubio possessio talis est manutenendus in jure praesentandi, ut patet ex *C. 19. de jurep. & ibi gl.*; multò magis in dubio, an jusp. competat ex privilegio, vel ex foundatione, manutenendus erit in privilegiis, quae jurip. laicali convenient, cum ex primo majus Ecclesiae praejudicium generari possit, quam ex altero, ac in dubio generaliter presumatur jusp. esse laicale, ut tradit VAN ESPEN *C. 2. N. 10.* COVARR. *L. cit. N. 6.* CASSADOR *decis. 7. N. 6. de jurep. PANORMIT. conf. 76, & 106. L. 2.* eo quod communiter laici soleant esse fundatores, & eis rarissimè concedi soleat privilegium, quae presumptio tunc maximè procederet, si in possessione jam ante Trident. talis laicus extitisset, non enim verosimile ordinarios talem in possessione relicturos fuisse, si non vel semel probasset suum jus ex possessione descendere.

Ast in Patronatu Ecclesiastico vel laicali, orto ex merito privilegio, non requiritur expressa derogatio, ut

66 DISSERTATIO JURIDICA

communiter teneri à Doctoribus testantur ROCHUS
curt. Qu. 3. N. 12. LAMBERT. L. 2. pag. 3. qu.
9. art. 25., sed sufficit generalis derogatio, eo quod
propterea non timendum sit, ne alii à fundationibus
absterreantur, cum hos, qui ex suo nihil in Ecclesiam
contulerunt, frequenter jurep. privari vident.

Dicta generalis derogatio etiam sufficit in Patrona-
tu à laico quidem ex fundatione acquisito, sed postea
donato Ecclesiae, eo quod talis Patronatus tam in fa-
vorabilibus, quam odiosis censeatur Ecclesiasticus CO-
VARR. l. cit. LAMBERT. l. cit. art. 8. PAULUS
Paris. Conf. 128. N. 19. & probatur ex C. unico de ju-
rep. in 6. & ibi gl. cum tali Patronatu tribuatur seme-
stre, quod non nisi Ecclesiastico conceditur.

Derogatur secundò juri patronatū per reservationes
Apostolicas, quibus Pontifices varia beneficia suae dis-
positioni reservarunt, quarum praecipua, & in corpore
Juris clausa dicitur reservatio beneficiorum vacantium in
curia, verùm cum harum naturam investigare est extra
sphaeram disputationis, hinc generaliter hic tantum an-
notare volui, nullam reservationem afficere jusp. laicale
ex fundatione vel dotazione acquisitum. Ita cum com-
muni tenent LAYM. tract. 2. L. 9. C. 11. N. 2. CO-
VARR. L. cit. N. 2. eo quod nunquam censeantur Pon-
tifices derogare tali juri nisi id speciatim exprimant, quod
in nulla reservatione factum, quod etiam extendunt
BARB. de pot. Epis. alleg. 59. ENGEL h. t. Mando ad
reg. 1. Cancell. qu. 8. ob favorem laici ad jusp. mixtum,
negant vero de Patronatu Ecclesiastico, aut laicali ac-
quisito ex Privilegio.

Derogatur tertio juri patronatus per concilium Triden-
tinum, non quidem illi, quod ex fundatione, vel dota-
tione, sed quod ex Privilegio ortum, ut declaravit Con-
gre-

gregatio 4 Decemb. 1586, tametsi illi inserta esset clausula, ut perinde habeatur, ac si esset ex fundatione, vel dotatione eadem, *Congregatio 13. Febr. 1608*, excipit tamen Tridentinum certos aliquos Patronatus, quos, dum jam C. 5. enumeravi, hic praeterero.

Amittitur vero jus Patronatus vel extinguitur, & Ecclesia fit libera.

Primo: si Patronus expresse vel tacite juri suo in favorem ipsiusmet Ecclesiae renuntiet, renuntiare autem tacite censetur si Ecclesiam Patronatam in collegiatam erigi, vel alteri accessoriè uniri permittit, cum enim in collegiata non sit locus præsentationi Rectoris, sed electioni C. 51. 56. de Elect. & per unionem prior Ecclesia totaliter extinguitur, sicque ruat fundamentum, in quo jusp. fundatum, sequitur, quod, dum talia sine reservatione ulla fieri permittit, juri suo tacite renuntiare censeatur.

Secundo amittitur per formalem præscriptionem contrarii statutis, nempe libertatis, ut autem haec præscriptio locum habeat, requiritur, ut collationes vel à Papa, vel ab alio successive factae sint per 40 annos tanquam de beneficio libero sciente & paciente Patrono, ita decidit rota in una salern. rectoriae 22. Martii 1591. item rota recent. p. 1. decif. 615, unde ut ait CARD. DE LUCA: si factae sunt collationes ob negligentiam Patroni, vel per viam derogationis (quod in dubio præsumendum) jusp. saltem de jure communi, & Trid. acquisitum salvum manet, ratio prioris: quia dum confertur ob negligentiam Patroni, non potest in collatore præsumi animus præscribendi, nec bona fides, dum tacite Ecclesiam Patronatam fatetur, utrumque autem ad præscriptionem validam est necessarium, C. 20. X. de præscript. L. 13. ff. de publ. in rem, ubi dicitur, quod si-

nè animo rem sibi habendi possessio non teneat, conser-
quenter nec praescriptio cum haec sine possessione non
currat *C. 3. de reg. jur. in 6. §. 25. ff. de usuc.*, ratio
posterioris: quia non valenti agere non currit praescriptio.

Dixi de jure communi, nam si competeteret ex mero
privilegio jusp. illud in casu negligentiae amissum foret,
non quidem vi praescriptionis ob datas rationes, sed ob
non usum privilegii, quo ipso omnia privilegia ob prae-
sumptam renuntiationem ex parte non utentis tolluntur.
*ZOES. ad Jus Can. tit. de Privilegiis N. 35. GLO-
SA ad C. suggestum de decimus.* nec hic tempus 40 an-
norum requiro, sed attento, quod sit aliis onerosum,
decennium sufficere puto per *L. 1. ff. de nundinis.* modò
duabus vicibus collationes paciente Patrono cum effectu
factae fuerint, uti ex *BARB. N. 257.* docet *PIRRH. N. 138.* Verum ut ex capite non usus jusp. ex jure com-
muni acquisitum amittatur, ad minimum 40 annos de-
sidero, cum privilegia contenta in corpore juris sive de
jure communi concessa, non tam facile tollantur, quam
quae de jure singulari. *authent. de non alien. rebus Ec-
clesiae C. 9. in fine. GL. & BARTH. ad L. 35.
ff. de test. militis,* nec hic tam facilè renunciatio prae-
sumi possit, cum sit privilegium ex causa onerosa ac-
quisitum.

Tertiò amittitur jusp., si numerus forte praefixus
praesentationum sit completus, aut Ecclesia totaliter
destructa, aut beneficium omnino redditibus sit desti-
tutum. Ratio prioris: quia cum jus, quod Patronus
habet, dependeat ex consensu Episcopi, necesse est,
ut, dum illud tantum fuit restrictum ad certum nu-
merum, eo impleto etiam cesset jus praesentandi; Ra-
tio posterioris: quia sic cessat esse Ecclesia & bene-
ficium; non entis autem nullae sunt qualitates.

Quar-

Quartò amittitur per Simoniacam venditionem, aut aliam translationem jurisp. uti & si Patronus se inge-
rat in perceptionem fructuum beneficii, aut ejus bona
usurpet. TRID. *seff.* 22. C. 11. *seff.* 25. C. 9.

Quinto amittitur, si Patronus Ecclesiae ingratus ex-
istat, aut in haeresin delabatur BARB. N. 260. &
se citans *Surdum*, & *Vivian*, & merito: quia indi-
gnus est beneficio Ecclesiae, qui ipsam tanquam ma-
trem non agnoscit, & veneratur.

Sextò amittitur, si Patronus Ecclesiae Rectorem,
vel per se, vel per alios occidere vel mutilare prae-
sumat C. 12. *de poenis*, puto tamen in expressis casi-
bus N. 5, & 6. requiri sententiam declaratoriam, cum
nullibi in canonibus legatur, quod in iis privatio ju-
ris ipso facto incurritur.

Pro coronide notandum, quod, ut amissio juris (ex-
ceptâ illâ, de quâ N. 3. dictum) locum habeat re-
quiratur, ut Patronus sit talis, qui successoribus prae-
judicare possit, unde dicta in Patronatu gentilitio non
habent locum, cum ibi vocati veniant non jure trans-
misso à Patrono antecessore, sed jure sanguinis, & de-
scendentiae à primo fundatore.

Quaeres primo: An Episcopus, vel legatus à latere
derogare possit jurip? Resp. cum de jure antiquo, ut
patet C. 16. *quaest.* 7. C. 22. 23. 24. Ecclesia a di-
spositione Patroni per neminem auferri possit, hoc
autem quoad legatum à latere tantum sit mutatum in
C. 28. X. *de jurep.* hinc dico, legatum à latere, &
consequenter etiam Nuncium Apostolicum cum pot-
estate Legati, non verò Episcopum posse derogare ju-
rip.

Dixi mutatum, catenù scilicet, quod Legatus pos-
sit derogare jurip. Ecclesiastico (& ex paritate ratio-
nis

nis etiam laicali ex mero privilegio orto, cum in utroque nullus Patronus quidquam ex suo patrimonio ad fundationem contulit) non verò Patronatui Laicali ex jure communi acquisito, cum Pontifex ideo tantum ibi præsentationem Archidiaconi contra reservationem Legati annullaverit, eoquod tanquam Clericus ad Ecclesiam stante reservatione nullum præsentare potuerit, ad quid enim aliàs illae particulae: *tanquam Clericus additae*, nisi ut indicaretur, quod si Archidiaconus tanquam *Placitus* id est jure acquisito ex patrimonio suo collato in Ecclesiam præsentasset, aliud dicendum sit. videatur GLOSSA in *cit.* C. 28.

Quaeres secundò: An beneficium jurisp. non cadat sub reservationibus, si, dum præsentati in discordia patronorum de eo litigant, unus vel ambo ex præsentatis in curia seu apud sedem Apostolicam moriuntur, adeò ut collatio forte facta à Papa de tali litigioso beneficio, etiam sine expressa derogatione debeat censeri valida? Resp. Neg. si nullus adhuc ex litigantibus adhuc est institutus, eo quod tunc sive unus, sive ambo moriuntur in curia, nulli ex iis jus quae situm ad ipsum beneficium, ut notat GL. *ad Clem. ne lite pend.* communiter recepta, teste COVARR. Qu. C. 36. N. 7. licet ambo eatenus acquisiverint jus ad rem, ut ipsi à Patrono repelli amplius non possint arg. C. 24. *de j. pat.* & proinde per obitum unius vel amborum præsentatorum nulla nova vacatio contingit, sed antiqua durare censetur, cum haec primò per institutionem exspirat, sicut electio per confirmationem C. 1. & 2. *de trans. Episc.* C. 6. & 16. *de elec. in 6.* unde reservatio locum non habet, cum non adsit vacatio beneficii per obitum in Curia, & consequenter collatio ex capite reservationis pro omni

I N A U G U R A L I S

71

omni Patronatu sinè derogatione expressa censeri debet invalida.

Si verò unus est institutus, alter non, tunc si hic non institutus moritur Romae, collatio etiam cum derogatione factae censeri debet pro nunc invalida, quia non adest vacatio beneficii, si autem institutus moritur Romae, tunc poterit quidem Papa alium in locum defuncti surrogare, qui ejus causam prosequatur, ast conferre beneficium de jure, ut Papa ait, nemo potest, donec lis finita; post finem litis si apparuerit defunctum non habuisse jus, nec superstitem habere jus ex praesentatione, tunc potest quidem Papa conferre, ast non censetur voluisse derogare Patronati laicali (secus dic de Ecclesiastico) nisi expresse deroget, cum haec expressio ab omnibus ad talen derogationem requiratur, ut supra dictum.

Si denique ambo instituti Romae moriuntur, aut possessor beneficii ibi, alter extra Curiam, tunc rursus quoad Patronatum laicum expressam derogationem cum communi sententia requiro. Non obstat Clement. 1. & 2. ne lite, & C. 2. de praeb. in 6. cum loquantur tantum de collationibus, & electionibus, unde dicit GL. in C. 2. in 6. nihil dicit de praesentatione, unde saepius reperitur receptum in Curia, Papam per hoc non conferre beneficia, quae pertinent ad praesentationem laicorum. Non autem quoad Patronatum Ecclesiasticum, quia adest vera reservatio, quae juxta omnes talen Patronatum sinè expressa derogatione afficit, licet enim dictum Capitulum non loquatur de praesentatione, quia tamen praesentatio Clerici vim electionis habet, ut ex Archid. notat Innocentius, & ipsa non censeatur magis favore-

72 DISSERTATIO JURIDICA

vorabilis in jure quoad derogationem, quàm alia collatio, hinc eam sub r̄e: *collatio includi*, sentio cum citata Glossa.





Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

